GRATIÆ
DANIELI CRAMERO, STETINENSI IN POMERANIA LVTHERANO PRÆDICANTI PERSOLVTÆ,

A

IACOBO GRETSERO SOCIETATIS IESV THEOLOGO,

PRO

PARALIPOMENIS AD LIBROS DE FVNERE CHRISTIANO TRANSMISSIS.

Ausonius Epigramm. 85.

Si benè quid facias, facias citò, nam citò factum,
Gratum erit: ingratum gratia tarda facit.

Cum facultate Superiorum.

INGOLSTADII,
Excudebat ANDREAS ANGERMARIVS.
Impensis Ioannis Hertsroy Bibliop. Monacensis.
ANNO MDCXII.

ADMODVM REVERENDO, NOBILI ET MAGNIFICO DOMINO, DN. ANTONIO VELSERO,

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI, ECCLESIArum, Cathedralis Frisingensis, & Collegiatarum Spalatinæ ac Isnensis Præposito, &c.

IACOBVS GRETSERVS Societatis IESV.

GRATIAS, QVAS HIS DIEbus *Danieli Cramero*, *Prædicanti Pomerano*, *persolui*, *ad te*, Admodum Reuerende Domine Præposite, *velociter abire iußi*, *duplici de caussa*, *quarũ altera est*, *vt tibi gratias agant*, *pro tua nupera in me beneuolentia & humanitate*, *qua mihi denuò ornatißimã & locupletißimam tuam Bibliothecam ad arbitrium meum patere voluisti*; *neq; hanc solùm*,

lùm, sed & religiosissimũ, & omnibus iis, quæ ad rem diuinam peragendam seruiunt, instructissimum Sacellum; quod domi tuæ, insigni pietatis significatione, S. Carolo Borromæo, *(quem abs te in hac mortali vita visum esse meritò gloriaris) exstruxisti.*

Altera est, vt gratulentur tibi non ita pridem partam in cathedrali Ecclesia Frisingensi PRÆPOSITI *dignitatem. Spero* Gratias *istas vtroq; munere apud te probè & ex decoro functuras; & vbi eo perfunctæ fuerint, iure suo petituras, vt in Bibliophylacio tuo, inter tot pretiosissimos thesauros, quibus abundat, stationem aliquam obtineãt; quas citò conspectui tuo sese sistere volui: quia*

Gratia quæ tarda est, ingrata est. gratia nãq;
Cum fieri properat; gratia grata magis.

Vale. Ingolstadij 19. Augusti MDCXII.

LECTORI.

Scriptiunculam hanc extorsit à me Lutheranus Logodulus, Cramerus, Pomeranis carbones pro auro venditans; qui dentes suos cohibere nequiit, quominus Opus meum de Christiano funere, *quod superiore anno publicaui, admorderet: quem irrepercussum relinquere nolui; ne patientiam & silentium meum interpretaretur contemptum. Tu, mi Lector, opusculum hoc cum dicto opere iunge, & simul Zuuinglij stultitiam, vel potius insaniam ride, qui cum videret, fieri non posse, vt pestilenti sua doctrina sollicitudinem pro mortuis ex viuentium animis, primo statim impetu, expungeret, & abraderet; Simulauit sibi simpliciter non displicere, vt qui in sua Schola minores adhuc progressus fecissent; hac verborum formula defunctis pacem & requiem precarentur.* Tibi soli, Domine, mortuorum iudicium est cognitum; iussisti autem, vt parentes honore prosequamur, anxiè igitur precor, si potest nostris votis aut fide, mortuorum status immutari (quod tamen nobis nō liquet) præstes patri aut matri æternam requiem.

Ita Zuuinglius in Explanatione Articuli LX Quo quid stultius? Nam si, vt gladiator iste firmiter sibi persuadet; non est aliud animarum receptaculum, præter cœlum & infernum; & si vtrumque horum ita comparatum est, vt quos semel hospitio excepit, perpetim, sine vlla missione retineat; vanissimè orat, qui mortuus intercessione & fide sua mutationem aliquam in melius obtinere studet; cum ex inferno nulla sit redemptio, quique in cœlis est, non optet, vt Zuuinglianis precibus ad Tartara deducatur.

)(3 Om-

Omnino Impostor est, qui alios, siue in Zuvingliana perfidia firmos, siue infirmos, ex præscripto supradictæ formulæ pro mortuis precari iubet, si præter cœlum & orcum, nullam aliam animab. deputatam sedem agnoscat; vt quidē Zuvinglius non agnoscit; cuius Alastor persuasit quoq; Tigurinis, vt nulla in cœmeteriis Epitaphia ferant, vt monui in Opere de Funere Christiano. Qui spiritus ex Thuricensi seu Turegiensi agro volauit quoque per inuia & auia, per rupes & cautes vsque ad Santgallenses; *apud quos* Ioachimus Vadianus, *&* Bartholomæus Schobingerus *viri literis & libris noti, in cœmeterio S. Magni vterq; sepulti sepulchralibus Epigraphis ex more communi vrbis illius, carent, Id testatur Caluinista Goldastus Prolegom. in Tom. 3. Scriptorum Alamannicorum: vbi de Vadiano:* Sepultus in cœmeterio D. Magni, sed pro more eius Ecclesiæ, nulla adiecti monumenti memoria. *At vnde mos iste, nisi ex Turego? De Schobingero.* Sepultus S. Galli in cœmeterio B. Magni, sine Epitaphio.

Obsecro, quæ caussa, cur isti Epitaphia adeò horreant & exterminent? An verentur, ne quis Epitaphio admonitus adprecetur illud: Molliter ossa cubent: *Vel magis Christianè:* Deus sit illi propitius. *Nec diutius te remorabor, mi Lector; vale, & talibus meliorem mentem, dum viuunt, precare.*

APPRO-

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICÆ IN ACAdemia Ingolstadiensi.

Gratias istas, si minus Prædicanti Pomerano, at aliis lectoribus gratas & fructuosas fore iudico; ac proinde dignas, quæ quamprimum in publicum emittantur.

Petrus Steuartius Leodius SS. Theologiæ Doctor, Professor, Academiæ Ingolstadiensis Procancellarius, & hoc tempore RECTOR.

IN-

INDEX CAPITVM.

GRA-

GRATIÆ PRÆDICANTI CRAMERO PERSOLVTÆ.

Caput Primum.

Occasio huius lucubrationis. Polytecnia & Epitaphia Prædicantica, nominatim Lutheri ac Philippi, & liberorum vtriusque.

QVAM Zelotypus es, ô Prædicans? Chronicam tuam Pomeranicam obiter & vix primoribus digitis in opere *de Christiano funere* attigeram; Et en vociferaris; quid tibi hanc tactio est? si idem affectus te vrit erga tuã *Prædicãtissam*, qui erga tuos libros, duro sanè sub iugo vitam agitat; Vix enim feres, vt ab alieno oculo eminus vel cominus aspiciatur. Ni caueat, à ferro candente, aut aqua frigida, aut à veteri Zelotypiæ Sacrificio testimonium innocentiæ petere compelletur.

Ne te diu detineam, mi præco, non tantum in libris *de Funere* miratus sum, sed etiamnum, & quidem vehementius, quàm antea, miror, vix vllum vestri gregis Stentorem reperiri, in cuius Oratione Funebri non compareant vel vna, vel plures vxores, cum numerosa plerunque sobole. Nominaueram tres huius generis conciones; vnam in Georgij Mülleri, alteram in Hunnij;

tertiam in Leyseri funeribus, à funestis Encomiastis publicè recitatas. Ex Chronicis tuis adieceram Valentinum Krugerum, & Iacobum Rungium. Tu, ne de Rungio falsa tradidisse censearis, eadem nunc confirmas ex declamatione Gesneri, qua Dauidi Rungio, Iacobi Filio, parentauit. Quo labore supersedere poteras; nam quod vel tu, vel alius tuæ tribus, de *prolifera* Prædicantium fœcũditate scribitis; id vobis facilè assentior; noui enim neminem vestrũ esse, qui se *castret propter regnũ Dei*. Id, ne ignoraremus, ipsæ etiam Prædicantium Epitaphia crebro loquuntur, in quibus ſępius vel scriptam, vel pictã coniugem cum liberorum nõ exiguo choro intueberis; cuius rei exempla postmodũ proferentur; quę, quis nõ miretur in illis, qui se *verbi diuini ministros* indigitant; & ab aliis indigitari cupiunt? Quos ipse Lutherus aliquando *Euangelistas*, interdum *Episcopos*, est cùm etiam *Apostolos* nominat, vt passim videre est in duobus Latinarum Epistolarum Tomis ab Aurifabro publicatis. Ego obeo totam antiquitatem; nec simile quidquam inuenio.

Quæso, ostendat mihi Mercator iste Stetinensis Orationem funebrem in alicuius Apostoli, vel Euangelici & Ecclesiastici Apostolica tempora subsecuti Doctoris obitu habitum, in qua vxoris, vel vxorum & liberorum vlla mentio fiat; & quam coniunx eiulans cum plorantibus filiis & filiabus condecorarit, & singultibus suis lugubriorem effecerit? Extant non paucæ Homiliæ funebres sanctorum Patrum in Episcopos, & Sacerdotes nominatim S. Gregorij Nazianzeni, & S. Gregorij Nysseni. Nullas ego hic inuenio *Neæras* nullas *Delias*, nullos generos, nullos soceros, nullas socrus, nullas nurus, cum turba pusionum feretrum circũstantes vel circumsidentes, & omnia eiulatu complentes; nam *orientis Ecclesiæ, & Aegypti, & Sedis Apostolicæ, aut virgines Clericos accipiebant, aut continentes, aut si vxores habuissent, mariti esse desinebant*, teste S. Hieronymo contra Vigilantium.

Nec arbitror vllius Ecclesiastici Orthodoxi Ministri ex tota antiquitate tale Epitaphium repertum iri, in quo Pater cum vxore & liberis, lectori seu spectatori siue per scripturam, siue per picturam repræsentetur; qualia Epitaphia Prædicantium *Quinti Euangelij* innumera passim contemplari poteris, si voles. Si

cœmo-

cœmeteria & templa Lutherana obire non lubeat; adi Opus de Epitaphiis Witebergensibus *Balthasari Menzij*, quem Magdeburgi euulgauit Anno Redemptoris M D C I V. in cuius libro 1. inuenies Epitaphium Lutheri; cui tamen sua *Porna* cum Spuriis in tabula non est à pictore adiuncta; qui vt non modò egregium pictorem, sed & gnarum sutorem ageret, Luthero *ocreas albi coloris variè compunctas induit:* non prorsus abs re; nam quid stygiam paludem transiturus magis desideret, quàm ocreas?

Audio tamen non deesse, qui murmurillent, sepulchrum illud Lutheri, iam purum putumque Cenotaphium esse, Lutheri corpore vel ab Hispanis exusto, vel eum in locum abiecto, qui cadauer illud magis decebat, quàm Ecclesia Arcis Witebergensis; vt sileam, non videri improbabile, corpus à præfecto Arcis quando Carolus V. Witebergæ imminebat, ex busto suo elatum, nec postea relatum. Nam si, metu Imperatoris, idem præfectus tabulam, in qua Lutheri Epitaphium aureis literis æri incisum erat, clam surreptam, in pagum *Grunsitum ad sylnam Thebanam* transmisit, quæ annis aliquot pòst ibidem reperta, & à Senatu Academico repetita fuit, vt scribit Menzius, nimium sanè socors, & erga *Tertium Heliam* parum reuerens videri posset, si cadauer Lutheri ab hostium impetu non vindicasset; sollicitus de tabula; hoc est, de putamine, nec curæ nec cordi habens nucleum.

Vtcunque sit; quando post quinquennium; Witebergenses, nati Islebici Euangelij centesimum, seu *Iubileum* annum agent (quis verò acturos dubitet, cum hoc honore Academiam suam Anno M D C I I. affecerint?) operæpretium facient, si Lutheri tumbam recludant, & in rem præsentem eant; num aliqua, an nulla amplius ossa reperturi sint. Sin aliqua; diligenter inspiciendum erit, num sint ossa Lutheri; an supposititia. Quod facilius non internoscent, quàm si alterum vita functum; alterum Paralyticum ossibus illis admoueant; nam si ille reuiuiscet; iste autem curabitur; pro certo statuant, Lutheri ossa non esse. Si nec ille vitæ, neque hic pristinæ valetudini restituatur; Satis quidem probabile argumentum capere poterunt, Lutheri ossa esse; non tamen omnino certum & euidens: quia Lutheri ossa hoc commune habere possunt cum illis, quæ vel Hispani, vel Præfectus vrbis, aduentantibus Hispanis, substitue-

runt; vel ille fors subiecit, cum quo Lutherus concubia nocte, *de Missa* disputauit; si forsan moræ impatiens, nō tantum animam, sed & corpus Lutheri suo in Regno, tanquam rarum quoddam Orci Καμήλιον, tempestiuè possidere voluit.

Lutheri Epitaphio sociatur Epitaphium Melanchthonis, Philippo æquè ac Luthero in tabula, ea, qua viuens erat, statura, effigiato; & hoc eo, nisi fallor, fine, vt spectatores, præsertim Studiosi Academiæ Witebergensis iuuenes, Hæresin *sub vtraq. specie*, nempe sub Lutheranismo in Luthero, & sub Caluinismo in Philippo imbibant: nam Philippum ad Caluinismum defecisse, Prædicantes complures, iique non proletarij, sed præcipui palam testantur.

Etsi autem nec Luthero, nec Philippo in Epitaphiis adiunctæ fuêre vxores cum liberis; ne tamen improles fuisse existimaremus, alibi abundè cautum est: nam libro quarto, in quem coniecit Mencius Epitaphia, quæ Witebergæ in *Campo sancto* reperiuntur, primo statim loco & aditu occurrunt duo Epitaphia filiarum Lutheri Elisabethæ & Magdalenæ. Paulò post contemplari licet sepulchralem inscriptionem Pauli, Nepotis Lutheri, ex Paulo filio. Libro Tertio, in quo continentur Epitaphia, quæ exstant in cœmeterio Templi Parochialis, inuenies Epitaphium Martini Lutheri, ex Martino Tertio Helia progeniti. Libro quarto visitur Epitaphium Georgij Melanchthonis, Philippi Filij. I nunc, & Lutherum ac Philippum liberis caruisse ai: nam quod in Arcis Templo cum Patribus suis, nec tumulati, nec depicti sunt; veteris illius meminisse oportet: *Non omnibus adire licet Corinthum*: & tanta tantorum lipsana variis locis diuidenda fuerunt, vt partem Templum Arcis, partem *Campus sanctus*; partem cœmeterium Templi Parochialis participaret.

CAPVT SECVNDVM.

Supplicatio ad vniuersos Prædicantes Lutheranos, præsertim ad Mercatorem Pomeranum, vt nobis tandem apertè exponant, vbi & quando & quo mortis genere Catharina Borrha, Lutheri Porna, *mortua sit.*

HOc ego iam pridem, & vnà mecum multi alij nosse & ex Prædicantibus intelligere desiderauimus: nec tamen voti nostri hucusque compotes effici potuimus. Iterum igitur supplicamus vobis, ô præcones, vt nobis veritatem pandere, & sinistras opiniones & suspiciones ab hac tanta vestra Prophetide, ne dicam Sibylla, amoliri, & nobis, si erramus, errorem eripere dignemini.

Nam I. valde suspectam reddit Borrhæ mortem tantum omnium Prædicantium silentium: nullus mutit, vbi, & quando, & quomodo excesserit. Nulla concio funebris, nulla oratio Encomiastica exstat; aut si exstat, id perinde est, ac si non exstaret: nam quis vidit, quis legit? Blattæ, credo, & tineæ, puluis ac situs; similesque lectores & lectrices, & cum illis; *Nemo & nullus.*

II. Catharina Krappina, vxor Philippi Melanchthonis, suum habet Witebergæ Epitaphium, vt docet liber Tertius Mencianus. Cui cur Catharina Borrha non inuideat, & quidem tantò magis, quanto maior Lutherus Philippo? Profectò Borrhæ non parum debent Lutheran Euangelici: quia si amor *generis fæminini*, & quidem huius ipsius Borrhani, Lutherum non incendisse, forsan, cucullo exuto, cuculum nunquam induisset. An non Catharinæ Borrhæ, vbicunque tandem nunc sit, bilis meritò inflammari potest, cum se tertij Heliæ consortem, tam inhonoratam & ingloriam conspicit, *Catharinam* verò Philippicam vsque adeo honoratam & gloriosam hoc præscripto tumbæ Epitaphio?

Proximus hic tumulus Catharinæ contegit ossa, &c.

Coniugio casto fuerat quæ nupta Philippo.
Ex scriptis cuius nomina nota manent.
Virtutes habuit donatas numine Christi:
Matronæ Paulus quas docet esse decus.

Mirum, ni ex indignatione per parodiam erosis pauculis vocabulis, totum Epigramma ad se transferat, tumulumque illum, expulsa Melanchthonica Catharina, occupet.

III. Res miseranda prorsus est, aliis Catharinis Witebergæ Epitaphiorum monumenta erigi, hanc verò omnium Catharinarum Lutheranarum, *primipilam* in tenebris relinqui. Quæ enim maior & potior? Illáne Lutheri Catharina; an *Catharina Rosina*; duplex *Catharina Burckhardina, Catharina Limmerina, Catharina Tangerina, Catharina Salbachia, Catharina Raben?* Et tamen istæ sepulchralibus præconiis, & à Mencio publico libro celebrantur; de Catharina Borrha vbique altissimum est silentium.

IV. Mitto dicere, quot in eodem Epitaphiorum funerali libro aliæ fœminæ, Prædicantium partim vxores, si non veræ, at putatitiæ; partim filiæ & neptes celebrentur. Illic leges *Annas*, licet non Caiphas; *Saras*, *Elisabethas*; *Elisas*, *Marias*; *Euphrosynas*, *Barbaras*; *Salomas*, *Veronicas*, *Marthas*, *Ludemillas*, *Gertrudas*, *Garbertas*, *Margaretas*, *Apollonias*, *Agnetes*, *Agathas*, *Helenas*. At vbi Catharina Borrha? Hic vox faucibus hæret. Conticuere omnes. Nulla est memoria. Nulla mentio. Nulla litera, tantæ Prophetissæ memoriam memorans. Qua de caussa, obsecro?

V. Filij & filiæ, & nepos, & stramentitius maritus sua habent Witebergæ monumenta, & vbi ossa cubent, palam indicatur. Cur idem honos negatur matri & auiæ Borrhæ? Nec est, quod quis obstrepat, Mencium, Poëtam illum *laruatum*, ea solummodo Epitaphia suum in opus referre voluisse, quæ Witebergæ exstent; nam libro quarto plurima extra Witebergam exscripsit, & commemorauit. Cur ergo omisit Epitaphium Borrhæ; si alibi Epitaphium habet; Et si habet, vbi tandem habet? Si extra Witebergam spiritū emisit, vbi tandem emisit? Num Islebiæ in Patria Luthe-

Lutheri, vbi & ipse Lutherus infaustam animam suam eructauit potius, quàm efflauit? Id si ita est; cur Prædicantes silent? Cur sciscitantibus apertè non exponunt, in quo Islebiensi fano Borrha sit condita: qua oratione funebri, & qua sepulchrali inscriptione honorata? Cur tantum Thesaurum suam in vrbem non reportarunt, aut vt reportaretur, curarunt Witebergenses, vt si non vno in templo, saltem vno in oppido, Borrhæ cadauere defosso, eò minus laboris Luthero capiendum esset, cum ex tumulo suo sub nouissimam horam exsurgens, Borrham suam quæret, & vt secum *ad loca serta sita* descendat, postulabit, ne quos Dæmon coniunxit, Dæmon separet?

Nisi Prædicantes, & ante omnes Stetinensis in Pomerania Mercator, ad hæc omnia planum & expeditum responsum nobis dederint, monstrauerintque, vbi Borrha animam exhalarit, terræque mandata sit, quando, & quo mortis genere, firmiter nobis persuadebimus, Borrham exstinctam, eo modo quo aliqui ex Catholicis exstinctam literis prodiderunt; nempe *in piscina Monasterij*, in quo cum Luthero habitauerat, aquis præfocatam esse, cum illud genus vini, quod igne eliquatur, & à Germanis Brantwein dicitur; vsque adeo largiter hausisset, vt non tantùm mens, sed & pedes suum officium facere nequirent, & propterea onus, cui ferendo impares erant, in aquas subiectas excusserint: nisi fortè Prædicantes dicturi sunt, Borrhã, tempore belli Schmalcaldici, cum aliquo milite seu Saxonico, seu, quod probabilius videri posset, Cæsareo, militatum abiisse, ac proinde arma illa, quibus ante nuptias cum Luthero, Witebergæ inter Studiosos assueuerat, iam æuo maturiorem resumpsisse.

Si oggerant Prædicantes, Borrham post Lutheri exitium non amplius habitasse in Monasterio olim Augustiniano, cuius aras Lutherus in haras conuerterat; ac proinde in illius loci piscina non periisse; dicant ergo tandem disertè, vbi post Lutheri inauspicatum funus habitauerit, & vbi & quo lethi genere viuendi finem fecerit; An eo, de quo communis Prædicantium amicus Nasus in Quinta Centuria? Ex Tomo primo scriptorum in Academia Witebergensi publicè propositorum? Summa est: Cum pestis ædes Borrhæ inuasisset; Witebergâ cum filiis aufugit.

In fuga, equi in furiam acti, quasi Tisiphonen anguineo flagello instantem cernerent, Borrham in cœnosam paludem excusserunt, inde seminiua extracta, nec animum nec valetudinem amplius recepit, sed indies magis ac magis contabuit: semper pauida & trepida, quasi morti repentinæ & subitaneæ præda futura esset; prout etiam facta est; sepulta Torgæ Anno 1552. in festo S. Thomæ Apostoli. Hæc si vera sunt; cur Mencius Epitaphium Borrhæ in suum librum non transcripsit? An caret Epitaphio? Quo suo merito, talis ac tanta? Nec effugiet, si occinat, se Witebergina Epitaphia collegisse: nam plurima extra Witebergam in suam Farraginem intulit. Et si Borrha Alexandriæ in Ægypto, vel Calecutij in India cum Epitaphio sepulta esset, par erat, vt Epitaphium eius cum Epitaphiis mariti & liberorum vno in libro iungeretur & publicaretur; vtpote cui Lutheranum Euangelium, vel omnia vel propemodum omnia debeat. Omnino Borrhæ sub extremam horam aliquid accidit, cuius non tantùm commemoratio, sed & recordatio Prædicantes vrit. Et est fortè tale quid, quale de Carlstadio proditum est; de quo in mendaciorũ suorum Centenariis Anno 1547. vaniloquentissimus Wolphius, calumniator verè Lupinus, ita scribit.

Habuit homo sectarius triduo antè quàm excederet, concionem ad populum. Prædicante verò ipso, procerus & totus ater vir quidam templum ingressus est; quem nemo, præter Carlstadium, videbat. Habita concione, prætorem de viro illo interrogat, qui se ignarum eius esse dicebat. Porro inter concionandum niger ille domum Carolstadij ingreditur, & arrepto illius filio, humiq; extenso, de patre quærit; vbinam sit. Trepido pusione affirmante, se nescire, dicit: indica ergo parenti tuo, me intra triduum reuersurum, ipsumq; mihi comitem abducturum esse. Audito nuncio illatabili, in tantum expauit Carolstadius, vt ægritudine contracta decumberet, & triduo post cum illo gigante nescio quo locorum mortuus abiret. Num simile quid Catharinæ Borrhæ euenit?

Omnino monstri simile est tot Prædicantium vxores, tot filios & filias, Encomiis funebribus & Epitaphiis clarescere; hanc autem

autem tam præclaram Quinti Euangelij *tympanistriam* tam densis tenebris premi, vt nec dies, nec genus, nec locus mortis cognitus sit; saltem claris, & quæ in omnium oculis versentur, literarum monumentis. Speramus, Prædicantes, hisce nostris suppliciis inflexos, & Borrhani honoris conseruandi cupidine impulsos, tenebris istis lucem accensuros, nobisque omnem scrupulum exempturos, quod nec supra Mercatoris Pomeranici vires erit, quippe qui sit *creatura VVitebergensis*, & in rebus actisque Lutheri non planè peregrinus. Iam redeamus ad contemplanda non modò monogama, sed & polygama & polytecna Prædicantium Epitaphia.

CAPVT TERTIVM.

Epitaphia planè Quinteuangelica Ioannis Bugenhagij Pomerani, & aliorum verbi Lutherani Dulologorum.

PRæclarè Tertullianus lib. 1. ad vxorem cap. 7. *Nobis continentia ad strumentum æternitatis demonstrata est à Domino salutis Deo, ad testimonium fidei, ad commendationem carnis istius exhibendæ superuenturo indumento incorruptibilitatis, ad sustinendam nouissimè voluntatem Dei.* Hoc prisci Scriptoris dictum si auribus Prædicantib. incinas; ipsi mox ex eodem recinent: *Nubamus quotidie, & nubentes ab vltimo die deprehendamur, tanquam Sodoma & Gomorra. Quo die adimplebitur quidem væ illud super prægnantes & lactantes, id est, maritos incontinentiæ;* Sed quid hoc ad nos? *Habemus Christo, quod allegemus, speciosum priuilegium, carnis vsquequaque imbecillitatem.*

Tertull. in Exhortat. ad Castit.

Tertull lib. de Monogam.

In Progymnasmatis Libanij Thema exstat, an matrimonium contrahendum sit. Affirmat is, qui deliberat, & affirmationem suam exemplis Deorum suorum stabilit & confirmat.

Aequum est, inquit, *homines cum Diis consentire: neque abducere iudicium suum ab illorum iudicio, neque velle ab iis discedere, penes quos summa est rerum omnium. Quae igitur Iouis de coniugio sententia? Quae vniuersorum cœli incolarum? Nonne ille Iunonem ipse duxit, Venerem Vulcanus, alius, aliam. Nonne patris & fratrum nomina his quaesita? Quin etiam coniugij vocabulis superbiunt, Iuppiterq́ appellari gaudet* Nuptialis, *& Iuno* Coniugalis. *At Venus, relictis omnibus, has res agit.*

Eadem mens ac sententia est Prædicantibus, & ex eodem fonte hausta; nimirum ex Ethnicorum Deorum exemplis: nam si respexissent ad Christum eiusque præcursorem, ad Apostolos, ad Doctores & Episcopos Catholicæ Ecclesiæ, longè alium spiritum inde traxissent, quia vel virgines, vel viduos, & ab omni mulierum consortio abstinentes reperissent. Sed isti nostri Iouinianistæ aliò, nempe ad Iouem oculos vertunt: Et cantilenam cœptam in Libanij Schola eruditi, pertexere pergunt. *Nam nuptiae produxêre Apollinem & Dianam; nuptiae Martem; nuptiae Herculem, Helenam, Dioscoros. Neque Dij Deorum connubio contenti fuerunt, sed ad terram vsque descendêre, serentes genus quoddam Semideûm. Audimus & Minois liberos, & Dardani, & Tantali: Quod si inhonestum esset coniugium, neque ipsi hoc Dij vsurpassent, & ab eo deterruissent suos. Nunc ipsa re docuêre, diuinam esse, liberorum suscipiendorum caussa, coniunctionem. Hoc enim certè dici nequit, Deos, quid melius esset, non vidisse. Neque cum benè scirent, libenter tamen melioribus prætulisse deteriora.*

Hæc sunt Prædicantium sensa & cogitata, petita, vt dixi, non ab exemplo Christi, Ioannis Baptistæ, Apostolorum, veterum Episcoporum Doctorumque Ecclesiæ; sed à Diis Ethnicis. A

Ioue.

Ioue. At quo Deo? *Qui templa cæli summa sonitu concutit. Ego homuncio hoc non facerem?* Vxorem nõ ducerem? *Ego illud verò ita feci ac lubens.* Inquit Ioannes Bugenhagius Pomeranus, Patriæ suæ vnus ex præcipuis seductoribus, Pastor Witebergensis, quem Lutherus non semel suis in Epistolis Episcopum Witebergensem ridiculè consalutat; cui Epitaphium positum est Wittebergæ in Templo Parochiali; in cuius tabula visitur imago Bugenhagij, itemque vxoris & liberorum. Si simile Epitaphium alicuius Apostoli, Episcopi vel Doctoris Orthodoxi Ecclesiastici quærere instituas, vbi tandem inuenies? Nimirùm Bugenhagius quoque illud Libanianum in sua præcordia demiserat. *Suam sententiam qui sequitur, Deorum prætaritâ, fugitq́; coniugium, is Deos accusat: quod honorem habuerint rei futili: viderique illis vult sapientior, tanquam illi, quo pacto opus fuerit, præstare non potuerint, & ipse solus, quid optimum foret, repererit.*

Succenseo autem non iniuria Stetinensi Mercatori, qui cum lib. 3. Chronici Pomeranici cap. 31. mortem Pomerani ad Annum 1558. annotasset, subticuit, quanta sobole Euangelicus iste præco mundum locupletauerit. Quod si fecisset, certè Epitaphio Pomerani, si non facem aut lampadem, saltem laternam perpetuò nonnihil ardentem accendisset. Nec Pomerani duntaxat sepulchro hæc lux illuxisset, sed & eius radij aliquot pertigissent ad tumulum *Saræ* Bugenhagiæ, Filiæ Pomerani: sciuissemus enim, quot fratres & sorores huic Prædicanticæ *Saræ* obtigissent. Voco *Prædicanticam*, quia prædicantis filia, & prius Gallo Marcello Mollero, Prædicanti Witebergensi nupta fuit, vt ex secundo & tertio Mencij libro liquet.

Georgius Maior Prædicans non incelebris, sepulchrum & Epitaphium habet in Templo Arcis Witebergæ, in quo nihil tam conspicuum, quam multitudo liberorum: *nam exorto bello Saxonico, in exilio aliquandiu cum coniuge & decem liberis viuentibus hinc inde oberrauit.* Quod elogium nulli, opinor, ex Apostolis tribui poterit,

quamuis maria omnia circum oberrarint. Idem Maior mortuus est *cum præmisisset ex suis filios masculos sex: natas quatuor: nepotes, neptesque sedecim, generos duos, nurum vnam. Relinquens post se filias ex se natas duas, generos tres, atque ex his nepotes neptesque viuentes nouendecim*, Quot sanè natos & natas, & qui ex his nati, nullus Apostolus aut præmisit, aut post se reliquit. Reipsa comprobauit Maior sibi non displicuisse illud Libanianum: *Naturæ qui bellum indicit, an non desipere hunc dicemus? Quid igitur naturam iubere censes aliud, quàm mistiones, generationes, partum? Argumento esse potest, quod animalia expertia quoque rationis, hac necessitate trahuntur, & fœtus edunt.*

In tabula Epitaphij *pictus est Maior quasi viuus, cum tota familia & filiorum maritis, nepotibus & neptibus.* Iterum Maiori omnes Apostoli concedant oportet: quia apud nullum illud: *Crescite & multiplicamini*, tam vberem prouentum tulit. *Volo vos omnes sine sollicitudine esse*, ait Apostolus 1. Cor. 7. *Qui sine vxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* Qua de caussa Apostoli vxores, aut non duxerunt, aut ductas reliquerunt, vt ea tantum, & quidem toto & integro pectore, curarent, quæ ad Dei cultum pertinebant; ad eiusque gratiam & beneuolentiam conciliandam conducerent. *Qui autem cum vxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Cuius contrarium Prædicantibus persuasum videtur: nam tum demum quàm aptissimos ad suum Euangelium promulgandũ sese arbitrantur, si vxor cum prole copiosa obtigerit: neq; inde vllam sui animi diuisionem vel distractionẽ metuunt: imò diuisos se existimarent, nisi se vt Lucretiano verbo vtar, *vniter* alicui Euæ agglutinarent.

In Templo Parochiali conspiciuntur Epitaphia Filiorum Georgij Maioris: quibus Pater ipse Epigramma adiecit.

Hæc sunt, ô Nati, luctus monumenta paterni.
Quos anni spatio sustulit vna dies.

Spem-

Spemq; senectutis carumq; leuamen ademit.
Et desiderium liquit inane mihi, &c.

Hic iterum Maior meliore conditione est, quàm Apostoli, quorum nulli filiis à se progenitis Epitaphium cum Epigrammatio statuere licuit. *Petrum solum inuenio maritum, per socrum*, inquit Tertullianus lib. de Monogamia. *Cæteros cum maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes.* At vnde probabunt Prædicantes Petro fuisse filium? De filia historiæ Ecclesiasticæ aliquid tradiderunt, licet non desint, qui hoc ipsum de filia potius spirituali, quàm carnali interpretandum putent. Vt autem nulli penitus vllum dubium remaneret, Maiori vxorem fuisse; necesse fuit, vt id vxoris peculiare Epitaphium in cœmeterio Parochialis Templi Witebergensis testatum faceret: quæ cum Nobilis fuerit, suspicio suboritur, Monialem Apostatricem fuisse; alioqui haud se cum ignobili Prædicante coniugari permisisset.

Nec prætereundus est Paulus Eberus, Pastor Witebergensis, cuius Epitaphium in Templo Parochiali docet nos, eum hinc excessisse Anno 1569. *cum paulò antè tria familiæ suæ funera extulisset, in quibus & coniugis fuit Helenæ Kutnerinæ, quam dilexit tenerrimè*; iuxta illud Apostolicum: *Ecce nos reliquimus omnia:* Et in his OMNIBVS, etiam vxores vel ductas vel ducendas, vt apparet ex responso Christi; cui *de quatuor denis liberis superstites fuêre duo filij & totidem filiæ.* Sed cum lib. 3. in Epitaphio vxoris disertè scribatur Eberum (qui Latinis est *Aper*) ex illa sua tantum genuisse tredecim liberos, nouem filios & quatuor filias, non immeritò quæritur, vndénam decima quarta illa proles, de qua mentio in Epitaphio Patris, exstiterit? An ex aliqua *Agar, Bala, Zelpha?* Quid multa? Pastor iste: *Bonum est homini mulierem non tangere*, non legerat; aut si legerat, mente non reposuerat; at illud: *Vnusquisque suam vxorem habeat:* in imas fibras demiserat & immiserat. *Nam quæ sacra Deorum*, aiebat Eberus,

cum Libaniano deliberatore, *quæ iudicia, quæ conciones, quæ expeditiones terra, quæ classes, ipsarum vrbium, quis status esse poterit, si quis incolas sustulerit?* At erunt *desertæ vrbes, si res coniugalis desierit, neque processerit: nam si præsentes intereant, neque sint, qui his succedant, qui fieri queat, vt non eueniat id quod dixi?*

Sed S. Hieronymus Ebero, quod olim Vigilantio recinet; *hoc modo si omnes tecum fatui sint, sapiens quis esse poterit? Si omnes Virgines fuerint, nuptiæ non erunt, interibit humanum genus: infantes in cunis non vagient, obstetrices absque mercede mendicabunt;* nec *vbera fluitantia* (Tertulliani verba audis lib. de Monogamia) *nec vteros nauseantes, nec infantes pipiantes*, Lutherani præcones amplius videbunt vel audient. At securus esto, quisquis es, ô Prædicans. *Rara est virtus* (castitas) *nec à pluribus appetitur: atque vtinam hoc omnes essent, quod pauci sunt.* Ita vouet D. Hieronymus, aduersus Prædicantem Vigilantium.

Sed en tibi mirificam & plusquam Apelleam tabulam ad Eberianum bustum: quæ *artificiosissimè continet pictam vineam Domini, in qua ad viuum expressi cernuntur, ab vna quidem parte Lutherus, Melanchthon, Bugenhagius, Crucigerus, Forsterus, Maior, Eberus, Froscherus, Crellius, sedulo pro se quisque laborantes & excolentes vineam, ita quidem vt Forsterus & Melanchthon aquã hauriant è puteo;* Sed in dolium pertusum, vt illæ, *quæ moliri letum patruelibus ausæ Assiduè repetunt, quas perdunt Belides vndas.* Lutherus villosissimum hircum mulget, vt vinitoribus lac suppetat. Pomeranus & Cruciger cribrum supponunt, vt liquor tam pretiosus ritè excipiatur. Eberus ædificat parietem, quem Maior linit luto absque paleis. Crellius apportat in corbe operariis panes, de quibus scriptum est Ezechielis cap. 5. *Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis, & facies panem tuum*

in eo.

in eo. Foris ante vineam stat Eberus cum sua familia, cupidè exspectans, vt ipse cum suis aliqua portiuncula hircini laticis, aspergatur. Nec est, quod mireris, Eberum esse intra & extra vineam, hoc est, simul in duobus locis. Memineris Plautini Sosiæ. Et pictoribus ea est potentia, vt vnum & eundem, simul & eodem tempore, pluribus locis præsentem sistere possint. Nec difficile est Vbiquistis in duobus locis simul esse.

Casparo Eberhardo, Pastori Witebergensi, *coniunx mæsta, filij sex tristes* monumentum posuerunt in Parochiali Templo Witebergensi. Ne tamen existimes tam infelicem fuisse, vt sex duntaxat liberis gauderet, Ecce tibi tredecim habuit, septenis ante se in alteram vitam præmissis, *tabulam enim sepulchralem ambiunt quatuordecim orbiculi, quadræ magnitudine, qui dicati sunt eius vxori & liberis.*

Ioanni Sturioni, Ministro Witebergensi *Vxor & Liberi* Epitaphium condiderunt. Simili honore coniugem suam affecit Laurentius Dornhofer, Præco Witebergensis, *relictis liberis ternis, vno filiolo & filiolis duabus, postquam decies peperisset, & vndecimo partu fœtus trimestris exstincta fuisset.* Bonus nempe Prædicans iste non ignorabat Libanianum illud: *Bonus liberum educator* (quid ni & procreator?) *& Deos metuere, & homines vereri, & laudis esse cupidus, & iustitiæ cultor videtur.*

Petrum Ezelium Diaconum Lutheranum Witebergensem, Vxor & Liberi Epitaphio cohonestarunt. Non male Libanius. *Omnium maximus, vberrimusq; ac pulcherrimus coniugij fructus, liberi sunt: nunc participes negotiorum, nunc senum nutricij. Postea verò & sepeliunt parentes, & deinde busta, vertentibus annis, ornant.* Quis Epitaphio cohonestasset Ezelium, si id non fecissent vxor & Liberi? Hoc si apud animũ suum perpendissent Christus, Baptista, & Apostoli, haud infleti & inhumati & *anepitaphij* remansissent.

Martino Sybachio, Witebergensi Diacono, coniunx prouidit, ne posteri crederent, eum cælibem vitam actitasse.

Ne

Nec porrò ex sola concione Funebri sciremus Georgium Myllerum, olim Augustanum, postea Saxonicum Prædicantem, prole sat copiosa ditatum fuisse; ipsemet Witebergæ filiæ suæ Salomæ & socero suo Epitaphium carmine Elegiaco admodulatus est, illudque ad sempiternam Euangelici sui ministerij memoriam in cœmeterio Parochiali Witebergæ affixit, vt docet nos Mencius lib. 3.

Samuelem Casiatum Epitaphio celebrauit parens eius Ioannes Calixtus verbi Lutherani Aretalogus. Simile officium filio suo præstitit Dauid Rungius, qui & ipse Witebergæ *dulologiā* factitauit: quibus non iniuria inuidisset Bartholomæus Stenius, filius Lutherani Superintendentis, nisi eundem honorem à suo patre consecutus fuisset.

Nec Polycarpus Leiserus Logoduliæ Lutheranæ in Saxonia *præstes* filium suum Lucam inglorium abire sinit, condito verboso Epitaphio, in quo non tam filij, quàm parentum præconia decantantur.

Te Polycarpe satus puer est Lysere parente.
Elisabeth genitrix Cranachiana fuit.
Iustus vterq; parens pater antistesq; disertus.
Et Mater vitæ regula tanta suis, &c.

Nil amplius deerat, quàm vt Epigrammatarius iste tumbæ adscriberet illud, Zachariæ & Elisabethæ encomium. *Erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini.*

Et quando Prædicantibus *erit finis nubendi? Credo post finem subandi*, vt loquitur Tertullianus in Exhortatione ad Castitatem. Nec diuino, nec humano respectu à nuptiis & liberis procreandis absterrentur: nec vllas molestias defugiunt, dummodo iugum vxorium subeant; non ignari illius, quod Libanianus Nuptiator dixit: *si quis in hac vita quærit rem vllā nulla difficultate contaminatam, is ignorat scilicet ea quærere se, quæ solius Dei sunt. Quid enim omnium non adiunctum habet aliquid triste? Audis agricolas interdum accusare siccitatem, interdum imbres immodicos. Nonne qui rem quærunt per*

mare

mare, huius mala accusant, fulmina, fluctus, prædones, alia innumerabilia, &c. Quòd si vt vos propter adulteria à coniugio abstinetis, ita alij agrum colere, alij nauigare, alij à Republica & communib. negotiis (propter impendentia pericula) *refugerent, dissoluerentur omnia, quibus ornatur vita hominum.* Proinde hoc affirmant Prædicantes, *cogitanda illa esse potius, Hymenæum, plausus, deductores, conuiuas, tædas, Epulas, liberûm spem, quibus nihil potest esse prudentibus hominibus iucundius.* Macti estote hoc animo, ô Euangelici Duliologi.

In eadem Menciana Epitaphiorum Farragine ex filiis, nepotibus, neptibus, per socrus & per nurus, maritos fuisse intelliges Peucerum, Pezelium, Picrium, Olearium, Hunnium, primi subsellij in Saxonia clamatores: quibus adde Henricum Sylberman Archidiaconum Lutheranum; Balthasarum Mencium Seniorē; qui solus notabili prorsus incremento mundi huius indigenas adauxit; ex quibus etiam ipse Epitaphiorum Witebergensium cōsarcinator vnus est; nisi me opinio fallit: qui ad librum quartum Appendicem satis sanè grandem ex solis propemodum Mencianis Epitaphiis contextam appendit. Videtur Senior ille Prædicans Mencius semper ante oculos habuisse illud Libanianum: *Si iam etiam filij in fortes viros euaserint, & virtute inclaruerint, quantum hoc patri bonum acciderit? Quamuis enim ille clarus & genere nobilis non sit; communicata tamen procreationis nobilitate celebratur. Satis autē esse debet & summam felicitatem parentibus, si apud alios de sobolis sui facinorib. sint in admiratione*; vt sanè est Iustus Ionas, cuius filius ob perpetrata scelera publicè in Dania capite mulctatus est, vt scribit Cramerus in Chronico Pomeranico; ad quem nunc reuisendi tempus: qui Polyteeniam & fœcunditatem *Prædicanticam* suo in Chronico aliquoties nobis testatam facit; vt non tantum ex concionibus funebribus Epitaphiisque, sed & ex Chronicis discamus; si mundus deficiat incolis destitutus, eius rei nullam penitus culpam in Prædicantibus residere.

C Pau-

Paulus à Rhoda, quem Stetinensis Cramerus seu Mercator primum Pomeraniæ Euangelistam nuncupat, lib. 3. cap. 37. duas vxores habuit; plures nimirum, quam habuerint quatuor Euangelistæ Christi. Non imminet Prædicantibus periculum à Montanismo, aut à libro Tertulliani de Monogamia: aut ab Encratitis, vel Manichæis: multoque minus à sanctorum Patrum libris de virginitate, Basilij, inquam, Nazianzeni, Nysseni, Chrysostomi, Augustini, Hieronymi, Althelmi: nec Virgines nec continentes, nec monogami esse cupiunt: quia indigent adiutricibus & consolatricibus, præcipuè aduersa valetudine.

Quid enim hominibus tristius ægrotatione & morbo? inquit Libanius. *At in his vna reperitur maxima quidem illa consolatio, aßidens mulier. Quæ si omnes ægrotum curent fratres, auunculus, consobrinus, alij cognati, necessarij, tribules; sola adamantina quadam firmitate aduersus omnes labores (vxor) sufficit, plorat, trepidat, discurrit, Medicos obtestatur, Diis vota facit, malum viri vel in se vt transferant.*

Tertul. Exhortat. ad Castit.

Si cum Tertulliano moneas Prædicantem: *Habe aliquam vxorem spiritualem. Assume de viduis, fide pulchram, paupertate dotatam, ætate signatam: Bonas nuptias fecerit huiusmodi vxor. Has te plures habere Deo gratum est:* mox occentabit; scriptum esse. *Crescite & multiplicamini.* Idque etiam *Prospectu Reipublicæ, ne diuites deficiant, si soboles non habent; ne leges, ne iura, ne commercia dilabantur, ne templa derelinquantur.* Ex coniugio *diuitibus facultates duplicari, pauperibus sæpe pecuniam accedere, aut huius loco mores vxoris commodæ, castæ, sedulæ.*

Scribit Mercator Stetinensis Paulum à Rhoda dicere solitum, Prædicantes in pagis reperire *tres Diabolos; Custodem,* (den Custer) *Præfectum, & Communitatem; vtinam,* addere solitus erat, *domi sui non inuenirent.* Diabolum quartum;

tum; *vxorem innuens.* At Prædicantes, Cacodæmonas istos parum morantur: quibus omnis Tragœdia exit in Catastrophen Comicam. Vbi obtigit vxor, occinitur: Valete & plaudite, vt ſcitè ſcripſit Eraſmus in Epiſt. ad Fratres inferioris Germaniæ.

Illud Chronicis dignum ſanè annotamentum iudico, quod Stetinenſis Inſtitor notat, Paulum à Rhoda, Quintum illum Pomeraniæ Euangeliſtam, ex prima ſua Cynthia, genuiſſe Heſtherem, quæ ſi tam ſpecioſa fuit, quàm vetus illa Heſter Aſſueri, tum ſanè grande operæpretium Gamelij ſui feſti Paulus ille tulit: quæ Heſter, ne extra tribum ſuam ſaltaret, poſtmodum Prædicanti cuidam tædis iugalibus iuncta eſt: quis enim Aſſuerus illam duxiſſet? Illud portentum olet; quod libr. 3. cap. 37. ſcribit Mercator, Ioannem Frederum, Prædicantem Wiſmarienſem, eodem die cum vxore & liberis (mit Weib vnd Kind/mit Butzen vnd Stil) obiiſſe. Quæ miſero tantæ & tam repentinæ miſeriæ cauſſa?

Ad extremum libenter ex Cramero cognoſcerem, an non Henricus Dubberck Capellanus Lutheranus Freyenwaldij in Pomerania, (qui prius SARTOR & Conſul eiuſdem Oppiduli fuerat, vt ſcribit Inſtitor libro tertio capite trigeſimo ſeptimo) ſuam quoque vxorem & ſobolem poſſederit? Nec dubitandum videtur. Quis enim Capellani huius capellas paſtum & potum egiſſet, ipſo aliis negotiis occupato, niſi vxor & liberi mariti & patris munus interea iniiſſent.

CAPVT QVARTVM.

Proteſtatio Auctoris.

PRoteſtor autem palam, hanc meam ſcriptionem ad ſolos Prædicantes pertinere; abſit enim à me, vt aliorum, etiam Lutheranorum & Caluinianorum legitimas nuptias, coniugia, laudationes funebres,

Epitaphia, monumenta in Chronicis posita, sobolem siue multam, siue paucam, stylo & calamo meo insecter. *Non abnuimus,* inquit Tertullianus lib. I. ad vxorem; *coniunctionem viri ac fœminæ benedictam à Domino, vt sciremus generi humano, & replendo orbi & instruendo sæculo excogitatam, atque exinde permissam.* Tota hæc velitatio in Prædicantes suscepta est, qui contra Apostolorum & omnium Orthodoxæ Ecclesiæ Doctorum generalem morem ita comparati sunt, vt se ad Lutheri vel Caluini Euangelium promulgandum inidoneos arbitrentur, nisi quamprimum vxorio iugo ceruices substernant: quasi scriptum sit. *Tollite iugum connubiale super vos: iugum enim hoc suaue est, & onus istud leue.*

Quis non iure admiretur, inquit Erasmus Epist. ad Fratres Inferioris Germaniæ, *oniculas mactationi destinatas, nihil in hoc mundo quærentes, præter Christi gloriam, tot curis districtos, tot afflictionibus obnoxios, quibus accedit & paupertas, onus tum miserum, tum graue, non posse viuere sine vxoribus, quas tam multi ob leuiores caussas aut non ducunt, aut ductas nollent? &c. Quæ, malùm, est ista tanta salacitas, quam tot mala non possunt excutere? Vnde tanta carnis rebellio in his, qui se iactant agi spiritu Christi?* Quàm non modò vnis, sed & si casus ita ferat, secundis, tertiis, & quartis nuptiis, funeralibus Encomiis, sepulchralibus inscriptionibus, & literarum monumentis tam ad præsentium, quàm ad posterorum memoriam transmittunt; quibus nulla virgineæ integritatis cura; nullum castitatis plantandæ studium, nullus conatus; omnia ad Hymenæum tendunt: Quò cum peruentum, iam sese solito meliores, & ab omnibus criminibus solutos existimant; iuxta illud Libanianum: *cum ipsis nuptiis melior existimatio accedit; nam & is, qui antè laudatus fuit, fit deinde admirabilior, habeturque pro modestiore: quique ante coniugium in criminibus fuère, illis postea liberantur:* vbi vides *plenarium*, sed *Prædicanticum* Iubilæum.

At-

At verò in Catholica Ecclesia non modò eius ministri aut virgines aut continentes sunt, sed & alios ad idem bonum inuitare in more positum habent; Hinc perpetuò professio virginitatis & castitatis in Catholica Ecclesia floruit. *Quot* enim sunt, inquit Tertullianus, lib. 1. ad vxorem, *qui statim à lauacro carnem suam obsignant?* hoc est, qui statim à suscepto baptismate castitatis obseruandæ Sacramento sese obstringunt? *Quot item qui consensu pari inter se matrimonij debitum tollunt? Voluntariis spadonibus pro cupiditate cœlesti, saluo matrimonio, abstinentia toleratur, quanto magis adempto?* Quot fuêre semper & sunt, *quæ nulla forma vel ætatis occasione pressæ, mariti sanctitatem anteponunt, malunt enim Deo nubere; Deo speciosæ; Deo sunt puellæ; cum illo viuunt: cum illo sermocinantur; illum diebus & noctibus tractant: orationes suas, velut dotes, Domino assignant: ab eodem dignationem, velut munera maritalia, quotiescunque desiderant, consequuntur. Sic æternum sibi bonum Domini occupauerunt; ac iam in terris non nubendo, de familia Angelica deputantur.*

Num simile quid in Prædicantium officina reperiemus? Tam parum, quàm in Schola Iouiniani; imò multò minus; quia Prædicantes huius ætatis omnibus Iouinianistis, & ipso, fermè dixeram, Ioue, longe sunt lasciuiores & salaciores. Conqueruntur passim Prædicantes, se multis persecutionibus obnoxios esse; ita vt non rarò de ciuitate in ciuitatem fugere oporteat. Quam ad rem quid ineptius quàm vxor & liberi? Certè Georgius Maior tempore belli Schmalcaldici, longè expeditius fugam inire potuisset, si vxore, & denis liberis oneratus non fuisset. Quod Tertullianus lib. 1. ad Vxorem, de fœminis scripsit, id ad quemlibet virum accommodari potest. *Quamcunque pressuram persecutionemq́ue; liberè perferent, nulla in vtero, nulla in vberibus æstuante sarcina nuptiarum.* In Actis Apostolorum legimus Apostolos aliquoties expulsos fugatosque esse, nominatim S. Paulum. At quod fugientibus vel vxor vel liberi vl-

lam moram attulerint, vel remoram iniecerint, id verò nequaquam legimus: semper prompti & expediti & ita affecti erant, vt omnium terrarum incolæ esse possent; quia nihil præter se aut secum ferebant, aut in comitatu suo ducebant; aut si quos fugæ & exilij comites habebant, ij æquè ab omnibus vxorum & liberum impedimentis soluti erant, ac ipsi Apostoli.

Sed scio, inquit Tertullianus in Exhortatione ad Castitatem, *quibus excusationibus colorent* (Prædicantes) *insatiabilem carnis cupiditatem, ex quibus necessitates adminiculorum descendunt; administrandam familiam, regendos loculos, claues custodiendas, lanificium dispensandum, victum procurandum, curas domesticas. Scilicet, solis maritorum domibus bene est. Perierunt cælibum familiæ, spadonum, militum, aut peregrinantium sine vxoribus. Non enim & nos milites sumus, eò quidem maioris disciplinæ, quò & tanti Imperatoris? Non & nos peregrinantes in ipso sæculo sumus? Cur autem ita dispositus est Christianus*, (& quidem Euangelicus Minister) *vt sine vxore non possit?* At Prædicantes *de posteriore tempore cogitant*, illi nimirum, *quibus crastinum non est. Hæredes Dei seruus desiderabit, qui semetipsum de sæculo exhæredauit?*

Rideo autem, inquit idem Tertullianus lib. de Monogamia, *cū infirmitas carnis opponitur* (à Prędicantib.) Nubere & *iterū nubere res virium est. Resurgere in opera carnis de continentia otio, substantia est laterum.* Nec quam opem Libanianus Nuptiator ægrotaturus ab vxore exspectat, & sibi pollicetur, rectè exspectat: nam vt benè ex Theophrasto S. Hieronymus lib. I. contra Iouinianum dicit, *assidere ægrotanti magis possunt amici, & vernulæ beneficiis obligati, quàm illa, quæ nobis imputat lacrymas suas, & hæreditatis spe vendit illuuiem, & sollicitudinem iactans, languentis animum desperatione conturbat. Quod si ipsa languerit, coægrotandum est,*

&

& nunquam ab eius lectulo recedendum; aut si bona fuerit, & suauis vxor, quæ tamen rara auis est, cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur.

Sed Prædicantibus nihil horum in mora est, quo minus quam maturrimè adiutorium simile sibi procurent. Legunt carnem infirmam, & hinc sibi adulantur impensius. *Legimus tamen & spiritum firmum,* inquit Tertullianus lib. 1. ad vxorem. *Nam in vno sensu vtrunque positum est. Caro terrena materia est, spiritus verò cælestis. Cur ergo ad excusationem proniores, quæ in nobis infirma sunt, opponimus: quæ verò fortiora non tuemur? Cur cælestibus terrena non cedant? Si spiritus carne fortior, quia & generosior, nostrâ culpâ infirmiora sectamur.* Verum ad horum considerationem si Prædicantium turbam voces, perinde feceris, ac si Arcadiæ pecus ad citharæ acroamata, suauemque harmoniam inuites.

CAPVT QVINTVM.

Num Gretserus sepulchrorum violatorum reus sit?

IN libris de Funere Christiano obiter tres Prædicantes Müllerum, Hunnium & Leiserum perstrinxeram, ob conciones, quæ in eorum funeribus habitæ sunt; in quibus tot filij & filiæ cum matribus feretrum circumsidentes, lacrymisque flebiliter rigantes conspiciuntur: quibus postea in *paralipomenis* adieci duos alios ex Pomerania clamatores, quos Mercator Stetinensis in suo Chronico non minus à fæcunditate & polytecnia commendat, ac alij prædictos rabulas Saxonicos.

Hic fulminat & tonat noster Institor; & non tantum sepulchra, sed & ipsos manes istorum à Gretsero immaniter violari & lacerari vociferatur. Væ capiti meo, si incidi in

in pœnas violatoribus sepulchrorum decretas lib. 9. Codicis Iustiniani Tit. 19. & lib. 9 Cod. Theodosiani Tit. 17. & lib. 47. Pandectarum Tit. 12. Solatur me tamen Prætor verbis illis sui Edicti. *Cuius dolo malo sepulchrum violatum esse dicetur, &c. Prima verba ostendunt*, inquit Vlpianus, *eum demum ex hoc plecti, qui dolo malo violauit. Si igitur dolus absit, cessabit eiusdem personæ*, seu, vt alij legendum monent; *cessabit in eiusdem personæ pœna.* At ego palam, bona fide, mente & conscientia testor, me hac in re dolo malo vsum non fuisse. Sed tam tumulos, quàm Manes supradictorum Prædicantium sincerè & candidè tetigisse. Tetigisse, inquam, non lacerasse; quia nihil acerbius in illos vibraui. Quidquid dictum, id ex Encomiasticis eorum concionibus desumpsi. Nimis delicatus est iste ex Pomerania circumforaneus, cui tangere est lacerare: Et tangi lacerari.

Secundo, solatur me illa lex, quæ citato Pandectarum loco extat. *Sepulchra hostium religiosa nobis non sunt: ideoq; lapides inde sublatos in quemlibet vsum conuertere possumus: nec sepulchri violati actio competit.* Quæ lex me in tuto constituit: Nam qui maiores totius ordinis mei hostes, quàm Müllerus, Hunnius, Lauserus, omnesque vniuersim Prædicantes? Adde, quod Prædicantium istorum sepulchra & sepulturas metaphoricè duntaxat tetigi; calamo & stylo, non violenta manu. Nihil enim abstuli; quippe qui nec vidi, nec adij. Multo minus cadauera illorum spoliaui. Et quid inde clepere posses, vbi nihil est, quod inde titiuillitio emptitare, vel vltro oblatum acceptare velis? At leges in eos animaduertunt, qui reipsa manium ædificia, & domos defunctorum inuadunt: vt in locis innumerabilibus factum est à Sectariis Lutheranis & Caluinianis, qui integra cœmeteria & Templa, vbi plurimi non tantum ex vulgo, sed etiam ex ipsis Diuis quiescebant; Sacrilege contaminarunt, spoliarunt, profanarunt, & vel funditus destruxerunt, vel in stabula, horrea, vel armamentaria transmutarunt; nullo legum metu, nullaq; reuerentia absterriti.

Si ex præscripto Legum Salicarum cum Nouatoribus agendum esset; malè profectò cum illis ageretur. Quid enim Le-

ges

ges Salicæ Tit. 57. *Si quis tumulum super hominem mortuum expoliauerit vel dissipauerit, D C. Denariis, qui faciunt solidos XV. culpabilis iudicetur. Si quis Aristatonem*, hoc est, *staplum* (scalas seu gradus) *super mortuum missum capulauerit* (detruncauerit) *aut mandualem*, (Cancellum, quo tumulus circundatur) *quod est structura, siue selaue* (columellam) *qui est ponticulus, sicut more antiquorum faciendum fuit, qui hoc destruxerit, aut mortuum exinde exspoliauerit, de vnaquaque de istis D C. Denariis, qui faciunt solidos XV. culpabilis iudicetur. Si quis corpus iam sepultum effoderit, aut exspoliauerit, vuargus sit, hoc est, expulsus de eodem pago, vsque dum cum parentibus defuncti conuenerit, vt & ipsi parentes rogati sint pro eo, vt liceat ei infra patriam esse; & quicunque antea panem, aut hospitalitatem ei dederit, etiamsi vxor eius hoc fecerit, D C Denariis, qui faciunt solidos XV. culpabilis iudicetur. Auctor verò sceleris huius, si ipse hoc fecit & comprobatus fuerit, vel aliud ad istud faciendum locauerit, VIII. Den. culpabilis iudicetur. Si quis domum in modum Basilicæ factam super hominem mortuum exspoliauerit, I C C. Den. qui faciunt solidos XXX. culpabilis iudicetur.* Seuerior adhuc est illa Lex Theodorici Regis. *Qui sepulchrum destruxerit: occidatur.*

Si hæ Leges vim suam hoc æuo obtinerent, & de loculis & de salute multorum sectariorum conclamatum esset, quippe qui tot non modò vulgarium hominum, sed & Diuorum, quos merita & vita sanctè acta cœlo adscripserunt, sepulchra diripuerunt atque funditus demoliti sunt.

CAPVT SEXTVM.

Uxorem & liberos habere, esse benedictionem Dei, ac proinde Prædicantibus non posse vitio verti.

ITA Institor Stetinensis. Ad quæ vt respondeam, dico inprimis, duplicis generis Prædicantes reperiri. Quidam enim illorum sunt Apostatæ, solenni voto castitatis obstricti, quippe religiosi aut maioribus Ordinibus initiati; quales Lutherus, Bucerus, Oecolampadius, Munsterus, Pellicanus, Carlstadius, Zwinglius, Lincus, Joannes Langus, & innumerabiles alij. Quidam voto hoc neque sunt, neque vnquam obligati fuêre. Priorum coniugia & liberorum procreationem tum fatebor esse diuinam benedictionem, cum Pomeranicus Logodulus mihi probauerit, coniunctionem fornicariam, vel adulterinam, & sobolem etiam numerosam, quæ hinc sæpe exsistit, diuinam benedictionem esse: neque enim talium coniugia aliud sunt, quàm pura puta, vel potius impura & putida scortatio. Si autem tam effrons non est, vt fornicationem & mœchiam, fructusque inde natos cœlesti benedictioni adscribere audeat; patiatur etiam me, & alios rectè sentientes, occludere aures, quando talium Prædicantium connubia fœcunditatem, & Polyteeniam diuinæ benedictioni in acceptis referri debere clamitat, cum talis coniunctio sit sacrilega, legibusque tam diuinis, quàm humanis aduersa. Quocirca cœlestis benedictio nullum in ea locum habet; quæ alibi quærenda non est, quàm *in matrimonio, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renunciant: Pater rato habet*, vt loquitur Tertullianus sub finem libri secundi ad Vxorem.

Alij Prædicantes validè matrimonia contrahunt; vtpote nullo voti nexu impediti, (si alioqui seruent, quę in hoc contractu ex præscripto iuris seruare oportet) quorum nuptias, *multinubentiam*, & in liberis procreandis feracitatem cœlesti benedictioni adscriberem, si simile quid à Christianæ fidei Antistitibus & Doctoribus olim factitatum fuisse cernerem, Nunc quocunq; oculos

oculos verto, aut Virgines, aut cœlibes seu continentes inuenio. Aspicio salutis nostræ Auctorem Christum, eiusque Prodromum Joannẽ Baptistam, & beatos Apostolos. Nec volam, vestigiũ eius, quod Prædicantes agunt, reperio; qui simul ac *Prædicantismo* sese dedunt, mariti fiunt, si prius non fuerint; cum qui Euangeliũ primi promulgarunt, coniugium penitus aut non inierint, aut morte alterius cõiugis solutum non iterauerint, aut ex mutuo cõsensu dissoluerint, ac desiderio illius CENTVPLI à Christo promissi, inter alia, ipsis etiam vxoribus valedixerint.

Quod ab Apostolis factum, id non segnius itidem ab Apostolorum discipulis, & qui hos subsecuti sunt, præstitum est. Ostendat nobis Stetinensis Mercator, Titum, Timotheum, Lucam, Marcum, Ignatium, Irenæum, & similes fuisse vxoratos; aut iam ad Euangelij prædicationem vocatos, liberis operam dedisse; aut mox in limine sui Ministerij de compari circumspexisse, in morem Prædicantium, quibus vxor cura prima est. Si vxore & liberis oneratum esse, tanta est in Ministro Euãgelico benedictio, mirum, illam adeò fuisse ab Apostolis eorumq; successoribus neglectam, vsque dum noui isti Euangelistæ exorti omnibus ad Hymenæi adyta fores reserarunt; nouumque Euangelium, nouo etiam & prius inaudito modo promulgare instituerunt, quasi cursus Euangelij sine vxore & numerosa prole feliciter progredi nequeat.

Monstret mihi Prædicans Pomeranicus Apostolum, aut Apostolicum virum, qui scriptũ reliquerit simile quid eius, quod Lutheranus illo spermologus Joannes Matthæsius præfat. in primam partem suarum concionum funebrium de se scripsit: cum enim symmystæ suo Casparo Eberhardo verbosè denarrasset, quot & quantis amicis violentiã mortis orbatus esset; subiecit ista. *Tandem valedixit etiam mihi multò omnium dilectißima vxor,* vnd lässet mir siben kleine vnnd vnerzogene Kinder: *relictis mihi septenis paruulis, & necdum educatis liberis.* Qua benedictione Prædicantica hic Quinti Euangelij lyricen omnes Apostolos longè antecessit. Neque vllus fuit, qui alteri alicui hac Matthæsiana formula filios suos commendarit. Lasset euch neben anderen meinen dreyen lieben Söhnen / mein armes Casperlein befolhen seyn. *Commendatum habete*

vnà cum reliquis tribus dilectis filiis, pauperculum meum Casparulum. Nec vllus Apoſtolus, aut Apoſtolos ſubſecutus Eccleſiæ Orthodoxæ Miniſter librum filiis & filiabus ſuis dedicauit, prout fecit Matthæſius, qui liberis ſuis Tertiam partem concionum funebrium inſcripſit: in quarũ præfatione adultiores ita alloquitur. *Vobis ſenioribus commendati ſint iuniores fratres ac ſorores, præſertim autem pauperculus & infirmus Caſparellus* quem Prædicans iſte, iam *inueteratus dierum malorum* genuiſſe, ac proinde tanquam Beniaminum, amaſſe videtur. Vbi hæc & his paria vnquam in orthodoxa Eccleſia vel à Miniſtris, vel de Miniſtris Eccleſiaſticis audita fuêre? Quis Eccleſiaſtico miniſterio orthodoxè, & ex traditione Apoſtolica fungens, hanc *prolificam,* vt ſic loquar, *benedictionem,* vel optauit, vel ſectatus eſt?

Nec quæuis benedictio à miniſtro Eccleſiæ ſectanda eſt: ſed copioſior & excellentior, & ſtatui ſuo conuenientior. At benedictionem cœlibatus, continentiæ & virginitatis præſtantiorem, & ſtatui Prædicatoris Doctoriſque Euangelici conuenientiorem eſſe, apertiſſimè docent exempla Chriſti, Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum, & ipſe S. Paulus, qui palam & exſertè 1. Corinth. 7. *Volo,* inquit, *omnes homines eſſe ſicut meipſum.* An optabat, vt omnes homines coniugati eſſent? Quis vel ferrei oris hoc affirmare auſit? Ibid. *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem.* En Apoſtolus manifeſtè hortatur, vt amore locupletioris benedictionis diuinæ, minorem in coniugio ſitam valere iubeamus; quia beatior erit, *ſi ſic,* nempe in cœlibatu, permanſerit; *ſecundum meum quidem conſilium,* ait Apoſtolus, *Puto autem, quod & ego ſpiritum Dei habeam.* Verè hoc putaſti, ô ſanctiſſime Paule, ſpiritum Dei habuiſti, & quidem menſurâ bonâ, confertâ, & coagmentatâ; Et ex conditione ſpiritus tui, quem cum alibi, tum 1. Cor. 7. viuis coloribus in charta depinxiſti, colligimus, Prædicantes Lutheranos & Caluinianos, nec guttam de tuo ſpiritu poſſidere; cum tuis axiomatis prorſus repugnantia ſtatuant & defendant.

Verumenimuerò ſpicula noſtra in Prædicantes nuptiatores, fortiter admodum & catè repellit Stetinenſis *Nugiuendulus,*

obiectu

obiectu huius clypei: *Prædicantes, nostro iudicio, esse meros & puros Laicos, ac proinde matrimonium siue vnum, siue plura; sobolemq́, siue multam, siue paucam, eis crimini verti non posse, cum Laicos ob coniugium, & liberos nemo reprehendat.*

Respondeo, verum quidem est, & nostro iudicio, & reipsa, Prædicantes, qui prius in Ecclesia Catholica sacris Ordinibus non sunt initiati, nec per vota Deo in religioso aliquo instituto consecrati, nil aliud esse, quàm Laicos; attamen suo, & eorum, quos decipiunt ac seducunt, iudicio, extra sortem & numerum Laicorum sunt; propter vocationem & destinationem ad Ministerium verbi. Hinc sese *Ministros verbi* indigitant; est cum etiam *Presbyteros*, Germanicè, Priester / interdum quoque Pfaffen; vt non semel videre licet in Tomis Lutheri; imò à Germanis itidem salutari cupiunt. Die Geistlichen. Geistliche Herren. Palam aiunt, *se in Ministerio verbi Apostolis & antiquis Ecclesiæ Doctoribus successisse.* Hoc si ita est, ipsorum quidem & gregis sui sententiâ, meritò miramur & quærimus, qui fiat, quod planè diuersâ viâ ab antecessoribus suis, & ab omnibus, qui orthodoxæ Ecclesiæ ministri fuerunt, incedant, quod ad cœlibatum & continentiam attinet; & ex hac ipsa diuersitate firmiter concludimus, priscos illos fuisse veri Euangelij promulgatores, & spiritu diuino plenos Doctores; hos autem nuperos esse falsi Euangelij præcones, & spiritu Venereo plenissimos spermologos. Nam si legitimi & genuini Doctores sunt; cur se non conformant ad eorum normam & similitudinem, quos legitimos & genuinos Euangelij Doctores fuisse, nemo sine impietatis scelere inficiari potest?

Sed Prædicantes semper coquit hæc Iouinianea & Vigilantiana cura. *Si omnes Virgines,* cœlibes, vel continentes *fuerint, quomodo stabit humanum gnus? Hac ratione nihil omnino erit, ne aliud esse desistat,* inquit S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum cap. 21. *Verbi gratia, si cuncti Philosophi sint, agricolæ non erunt. Quid loquor de agricolis? Non oratores, non iurisconsulti, non reliquorum artium præ-*

 ceptores.

ceptores. Si vniuersi Principes, quis erit miles? Si omnes caput, cuius vocabuntur caput, cum cætera membra defuerint? Vereris ne, si virginitatem plures appetierint, cessent lupæ, cessent adulteræ, ne infantes in vrbibus villisq; non vagiant. Noli metuere, ne omnes virgines fiant; difficilis res est virginitas, & ideo rara, quia difficilis. Multi vocati; pauci electi, &c.

CAPVT VII.

Prædicantes lasciuiam suam rectè non tueri exemplis Patrum veteris Testamenti; & quorundam nouæ legis.

A Deo impotẽs est Mercator iste Stetinensis, vt à Witebergensi Dulologo Balduino pro sua & symmystarum suorum defensione subsidium petere, coactus fuerit, inserta *Inserendis* vanissima & inanissima loquacitate, qua ibidem Balduinus suam & prædicantium *multinubentiam* à Georgij Pomerij iaculis vindicare tentauit. Summa hæc est. *Veteris Testamẽti Patres, & ante, & post Legem fuisse coniugatos; meritò igitur Ministros Lutherani & Caluiniani verbi in eorum vestigiis suos pedes ponere.*

Respondeo I. multos antiquæ legis Patres, & in his præcipuos, fuisse etiam vno & eodem tempore Polygamos, siue *multinubos*. Quid ni ergo isti veterum Patrum tanti imitatores, tam seduli, tam accurati; plures vxores ducunt, semperque cum Sara vnam Agar copulant: & cum Lia, Rachelem, Balam, Zepham: à qua imitatione animos Prædicantium non valde alienos esse, vt credam, faciunt, quæ de Polygamia ex Luthero scripsi in Summula Casuum *Conscientiæ Lutheranæ & Caluinianæ*, vbi de Matrimonio disputatum est.

II. Mirum est Prædicantes oculos suos tantum coniicere in illos antiquæ Legis, qui coniuges fuêre; non in illos quos coniuges fuisse non legimus; & in sententias, quæ nuptias commendant

dant, non autem in illas, quæ vitam cœlibem laudant & suadent. Cur Heliam, Helisæum, Danielem, & similes clausis oculis preteruolant? Quos cœlibes fuisse, demonstrat S. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum cap. 13. vbi dicit, Heliam & Helisæum non nisi stultè à Iouiniano in Catalogo maritorum collocari. *Cur autem de pristinis exemplis*, inquit Tertull. in Exhort. ad castit. *non ea potius agnoscamus, quæ cum posteris communicant, disciplinæ, formam vetustatis ad nouitatem transmittunt?*

III. Mirum Prædicantes non considerare, quod ab eodem S. Hierónymo eodem loco scriptum est, priscos illos Patres *seruisse temporibus & conditionibus suis, & illam Domini implesse sententiam*: Crescite & multiplicamini, & replete terram: *& quod his maius est, futurorum typos præbuisse*: nobis autem, quibus dicitur: Tempus in collecto est; superest, vt qui habent vxores, sic sint, quasi non habeant: *aliud præcipi, & virginitatem à Saluatore virgine dedicari.* In quem sensum Tertullianus quoque in Exhortatione ad Castitatem, scribit soluens hanc obiectionem. *Sed & benedicti Patriarchæ non modò pluribus vxoribus, verumetiam concubinis coniugia miscuerunt. Ergo propterea nobis quoque licebit in numerum nubere. Sanè licebit, si qui adhuc typi alicuius Sacramenti supersunt, quos nuptiæ tuæ figurent; aut si etiam nunc locus est vocis illius*: Crescite & multiplicamini: *id est, si nondum alia vox superuenit : Tempus iam in collecto esse; restare, vt & qui vxores habent, tanquam non habentes agant. Vtique enim continentiam indicens, & compescens concubitum, seminarium generis, absolescit* : Crescite illud & multiplicamini, &c.

IV. Mirissimum porrò illud est, Prædicantes potius sibi ad imitationem deligere patres priscæ legis, relictis Christo, Ioan. Baptista, Apostolis, & qui hos in Ecclesia Catholica singulis ætatibus ordine consecuti sunt? Cur malunt cum Iacobo Patriarcha vxores ducere, quàm cum Iacobis Apostolis cœlibem vitam agere? Cur Lutheranus spiritus ita *Iudaizat*? Cur non potius cum Christo & Apostolis *Euangelizat*?

Nec

Nec exiguum Iudaiſmum redolet, quando Prædicantes illud B. Dauidis Pſalm. 127. *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tua: Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ:* de copia liberorum, quos caro gignit; ſolummodo accipiunt, ſibique gratulantur, quando menſam ſuam à multis puſionibus ſtipari vident, quaſi ipſi quoque ſint ex eorum numero, quos Propheta primo verſiculo prædicat: *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulāt in viis eius.* Nec ferunt, vt locus iſte Dauidicus de ſpiritualibus filiis & filiabus explicetur. Quocirca Lutherus in fœneo ſuo ad hunc Pſalmum Commentario, Tom. 4. Lat. Ienenſi, ita boat. *Hæc reſpondere volui ad Hieronymi ſententiam nugantem cum Origene ſuo & fingentem per allegorias ineptos patres & filios ſpirituales. Quibus ſermonibus occaſionem dederunt Papæ, vt ſe faceret ſponſum ſeu maritum Eccleſiæ. Ego autem optarim ſponſum hunc cum Iuda ex arbore pendere, & in inferno ſepultum eſſe.* Votum hoc à nimio libidinis æſtu ex Lutheri præcordiis expreſſum, in caput vouentis recidit, ſaltem quoad poſteriorem partem.

Ex cuius ſtultiſſima phantaſia ſequitur, innumeros, qui aut conſultò à nuptiis abſtinēt, aut in ipſo matrimonio aut nullos aut paucos liberos ſuſcipiunt, non timere Dominum; quia non obtinent mercedem, quam, Interprete Luthero, Deus timentibus ſe in hoc Pſalmo pollicetur: E contrario autem plurimos omni flagitiorum genere coopertos, imò etiam Iudæos, Turcas, Ethnicos; timere Deum & beatos eſſe; quia vel concubinas vel coniuges, inſtar feracis vineæ fœcundas habent, multaque ſobole ditantur, Quod non modò abſurdum, ſed & planè impium eſt, vt in prædictum Pſalmum elegantiſſimè oſtendit S. Auguſtinus, vt proinde neceſſariò ad ſpiritualem ſenſum confugiēdum ſit, prout factum à ſanctis Patribus; nominatim à S. Auguſtino, & à S. Hieronymo; quem Lutherus Tartareis prorſus conuiciis cum alibi ſæpiſſimè, tum loco proximè citato petulantiſſime proſcindit, ita non tam ſcribens, quam furens: *Caro prædicat & diſtinguit dona ſecundum ſuum iudicium, & ſtatuit melius & purius ſeruiri Deo in cœlibatu, quàm in coniugio.* (ſi hoc iudicium à carne proficiſceretur,

sciſceretur, nunquam profectò Pornam tibi copulaſſes) *ſicut Hieronymus facit in peſtilentibus libris contra Iouinianum*, (peſtilentes ſunt, ſed peſtilentis Hæreſiarchæ calculo) *quem tamen apparet plus eruditionis & iudicij habuiſſe in vno digito, quàm Hieronymum in toto corpore.* Et hoc eam ob cauſſam, quòd doctrina Jouiniani Luthero feneſtram ad libidinem explendam aperuit; doctrina verò S. Hieronymi eidem aditum ad nuptias occluſerit. Hinc illa Jouiniani ſupra Hieronymum eminentia.

In cuius etiam ſchola didicit Lutherus ſequentia erotemata. Si non ſint coniuges, *quamdiu ſubſiſtet ſpecies? An non intra annos viginti totus mundus deſerti, & vaſtæ ſolitudinis imaginem habebit? Quis tum vſus auri? Quis argenti? Imò quis erit vſus ſolis, lunæ, & omnium ex terrâ naſcētium? deficiente ſubitò genere humano, ſi hoc modo coniugium abolitum, & beatus, ſi Dijs placet, cælibatus ſtatuatur? Quin hoc vide, vbi tum erit miniſterium Verbi?* Vbi erunt Prædicantes & Prædicantiſſæ? Vbi hæc & id genus alia Prædicantica deliria ex venereo gymnaſio Vigilantij, Heluidij & Iouiniani deſumpta? Ad quæ non ſemel S. Hieronymus reſpondit; cuius reſponſa iam antea recitauimus.

Sed en Balduinus, & cum illo Mercator Comicus ſe & ſuos etiam exemplis Epiſcoporum noui Teſtamenti purgare inſtituit: *Nam Nicephorus ſcribit* lib. 12. cap. 34. *in Oriente omnes, atque adeò etiam Epiſcopos, pro arbitrio ſuo, nulla vllius legis neceſſitate adactos, vxorium congreſſum declinaſſe, & multos Epiſcopos in Epiſcopalibus ædibus liberos ex coniugibus, quos ſibi legitimo matrimonio antea coniunxerant, ſuſcepiſſe.* Addunt quoque Syneſium ex eodem Nicephoro lib. 14. c. 55. *qui potius Epiſcopatum, quàm coniugis ſuæ conſuetudinem deſerere voluit.*

Ad quæ Reſpondeo I. Nouatoribus ſolenne eſſe, vt deſerto torrente, lacunas quaſdam conſectentur; hoc eſt, vt relictis omnibus, qui viâ tritâ & regiâ inceſſerunt, pauculos, eoſque ignotos & obſcuros ſibi aliiſque imitandos proponant, quod cum in omnibus

nibus aliis controuersiis, tum præcipuè in hac de cœlibatu factitant: cum enim exploratissimum sit, Episcopos & Sacerdotes ex vsitatissima Ecclesiæ consuetudine, aut maritos non fuisse, aut vbi ad hunc gradum euecti essent, maritos esse desiisse, isti hos omnes nictantibus oculis prætereunt, suamque salacitatem exemplis pauculorum excusare & honestare contendunt.

II. Quæ ex Nicephoro producunt; tantum probant, aliquos iam antea vxoratos, susceptis quoque sacris Ordinibus, matrimonio vsos esse. At Prædicantes vtuntur matrimonio non tantum ante *Prædicantismum* contracto, sed etiam in ipso *Prædicantismo* matrimonia ineunt, & quidem toties, quoties prior coniunx moritur, etsi fortè non desunt, qui etiam superstiti nouam superinducant. Quid ni? cum hoc sit libertatis & *Plerophoriæ Quinteuangelicæ* priuilegium: neque à doctrina Lutheri dissentiat.

III. Quæ Nicephorus hac de re scribit, ea ex Socrate sumpsit. Quàm autem Socrates, vtpotè Hæreticus Nouatianus, cœlibatui Clericorum parum fauerit, satis ostendit narrata ab ipso de Paphnútio fabula, vel certè fabulis aspersa relatio lib. 1. cap. 8.

Quod ad Synesium attinet, is primum vnus fuit. Cur vnum omnibus aliis anteferunt?

II. Ex hoc ipso Synesij facto satis elucescit, Episcopatui cœlibatum annexum fuisse. Ni enim fuisset, nihil Synesius de vxore & liberis procreandis obiecisset.

III. Quidquid hac in re Synesius fecit, id non seriò fecit; sed eo tantum fine, vt onus Episcopale subire non compelleretur: Sciebat enim, vtpote non tantùm Philosophiæ humanæ, sed & Ecclesiasticæ scientissimus, nefas esse, vt qui Episcopali honore claresceret, vxori & liberis procreandis operam daret: Sed hunc astum excogitauit, vt ab impendente onere sese expediret, quemadmodũ ex epistolis ipsius Synesij perspicuè ostendit Illustrissimus Baronius Tom. 5. Anno Redemptoris CCCC. X.

Forsan Balduinus & Cramerus *Gameliis* & prolificis Prædicantibus melius consuluissent, si ex Actis Apostolicis Philippum Euangelistam cum quatuor filiabus virginibus produxissent. Sed in promptu fuisset respondere, Philippum hunc filias istas genuisse ante vocationem ad ministerium Euangelicum; & in isto

mari-

maritum esse desiisse; ipsasque filias perpetuam virginitatem coluisse. Vbi tales Prædicantium filias inuenies? quæ nuptias de tenero meditantur vngue; in id vnum intentæ, vt nouos *Prædicantulos* mundo pariant, ne stirpe tam necessaria mortales aliquando priuentur.

CAPVT VIII.

Multos cœlibatu obligatos impudicam vitam egisse.

ITA Mercator Stetinensis: id vt nobis persuadeat, longum Pseudologiarum catalogum recitat ex mendaciorum loquacissimo Balæo, quo homine vix quidquam sol impudentius aspexit. At dic nobis, ô Prædicans; nullum ne nouisti Prædicantem adulterum, cui aliena, quàm sua coniunx magis arriserit? Nullamne *Prædicantissam* adulteram, cui alienus maritus quàm proprius amabilior visus fuerit? An ad vitia nostrorum oculos habes lynceos; ad flagitia tuorum talpinos? Ita credo. Nulla in agro vestro vides zizania, nullas lappas, nullas filices, nullos tribulos. *Vnum nequam exstitisse in vrbe rectè & honestè se habente, nihil mirum arbitramur,* inquit in Declamatione sua Vlysses apud Libanium; *quandoquidem apud ipsos etiam Græcos in ciuitatibus rectis legibus administratis, facilè quempiam inuenias, qui vitam suam communi conformationi repugnantem constituerit, ideoq; etiam lege punitur. Sed non hæc vrbium, opinor, crimina sunt, verum delicta eius, qui patrauit.* Idem tibi responsum existima, cum seu vera seu falsa quorundam crimina in opprobrium & dedecus vniuersi ordinis Catholici detorquere niteris.

Cum Heluidius obiectasset; *Quasdam esse virgines tabernarias;* Respondit S. Hieronymus in libro contra eundem. *Ego tibi plus dico, esse in his & adulteras, & quo magis mireris, Clericos esse caupones, & Monachos, impudicos. Sed quis non statim intelligat, nec tabernariam, virginem; nec adulte-*

rum, Monachum, nec Clericum posse esse cauponem? Numquid virginitatis est culpa, si simulator virginitatis in crimine est? Sed hoc proprium habent Nouatores, vt labes duntaxat & maculas Catholicorum quæritent, iisque, muscarum more insideant; hocque insessu sese oblectent: & si nullas apertas & conspicuas inueniant, aliquas tamen vel comminiscuntur; vel subesse, at non apparere suspicantur, & suspicando in odium & inuidiam vocare student

Quid curiosè à me quæris, ait S. Gregorius Nyssenus cap. vlt. aureoli sui libelli de Virginitate, an ij, qui hæc ipsa animaduerterunt, (hoc est, qui castitatẽ professi sunt) aliquando superati sint? *Conuertere ad eum, qui perfectus est, fortiq́; ac fidenti animo te huic optimæ nauigationi, gubernatore Christo, Spiritus sancti afflatu, temperantiæ nauigio vectus, committe. Neq; enim, qui mare nauigant, mercaturamq́; mari exercent, ab instituto spei cursu desistunt, naufragio deterriti, quod quispiam fecerit; sed bona sua spe ipsi excitati ad perfecti muneris finem festinant. An non maximè omnium absurdum esset, qui in errorem incidat in exquisitissima viuendi ratione, improbum eum putare; qui verò in omni vita vitiis consenescit, opinari eum melius consulere? Si enim graue est semel peccatum admittere, proptereaq́; tutissimum esse statuis, sublimius aliquod institutum non aggredi: quantò difficilius est, si quis vitæ studium in peccato adhibeat, eamq́; ob caussam puriorem vitam non experiatur?*

Pulchrè D. Gregor. Nazianzenus in carmine *de Pudicitia.*

At corruerunt, dixeris, quidam. Malè
Tibi sit, legis, qui debiles, non optimos:
Illi probrum sunt nam sibi: hi nobis decus.
Diramne propter grandinem tellus coli,
Seriq́; vitis desinit? Quid? Littori
Pontusne cunctos applicat, quos accipit?
Longinqua verò quid sequor? Cum Phosphoro

Virum

Vtrum Angelorum sunt simul lapsi chori?
Quid? nonne Christi carnifex Iudas erat?
Apostoli verò decus? Quin iam mala
Tu nuptiarum cogitas, furta & thori
Queis charitas & ipsa stirps corrumpitur,
Incede sursum; liuor at humi corruat.

Præclarissimè S. Augustinus in Psalm. 99. *Nemo vos fallat fratres, si non vultis falli, & vultis amare fratres; scitote, omnem professionem in Ecclesia habere fictos. Non dixi, omnem hominem esse fictum; sed omnem professionem habere fictas personas. Sunt Christiani mali; sed sunt & boni. Quasi plures malos vides, quia palea sunt, & te ad grana peruenire nō permittunt, Sunt ibi & grana, accede, tenta, excute, adhibe oris iudicium. Inuenis sanctimoniales indisciplinatas. Nunquid ideo sanctimonium reprehendendum est? &c. Nunquid propter virgines malas, damnaturi sumus & sanctas, & corpore & spiritu?* Ingerunt. *Ille illud ibi fecit, & ille illud ibi fecit. O malè, cur taces bonos? &c. Necesse est, vt multa perferant frumenta inter zizania. Sunt grana inter paleam, est lilium inter spinas. Quid enim audit Ecclesia? Sicut lilium in medio spinarū: ita proxima mea in medio filiarum. Quas dicis spinas? Ipsas filias. Spinæ sunt propter mores suos. Filiæ sunt propter Sacramenta.*

Hoc responsionis genus eo magis approbet Prædicans, quo sæpius eo vsus est, quāuis planè immeritò, Lutherus; cui cum tam sua, quàm suorum scelera obiicerentur; expeditè semper occurrit; flagitia quorundam doctrinæ suæ præiudicare nō debere; nullum esse vitæ genus, in quo aliquis Sathan, vel Sathanæ satelles non inueniatur: Sed, vt dixi, Lutherus immeritò huc confugit: quia scelera & flagitia, quæ patrabantur, & adhuc patrantur, ab eius sectatoribus, ex ipsa doctrina & disciplina Lutheri nascebantur, hodieque nascuntur: cuius tota indoles est Epicurea & Venerea; & non nisi ad carnem & sanguinem inclinans, quippe ex carne & sanguine progenita; Et si qui sunt adhuc recti honestique amantes, vt

sanè sunt quàm plurimi, ij hoc non debent Lutheranæ institutioni & sectæ, sed inprimis gratiæ Dei; deinde etiam naturali ingenuitati, quæ per spurcum hoc Euangelium, eiusque spurcidicos præcones in omnium animis hactenus exstingui non potuit. Fœdiora enim sunt, quæ Lutherus tradidit & docuit, quàm vt insitos à natura honestatis igniculos vbique penitus opprimere quiuerint. Verum de hoc argumento non semel à me in variis Apologiis disputatum est. Itaque in presenti verbis compendium faciam.

CAPVT IX.

Gratia pro ritu exequiarum Romani Pontificis.

STetinensis Mercator valde munificus est & dapsilis: Non tantum *Inferenda* (sed tamen nunquam inferenda) Operi meo de Funere Christiano submisit; sed & ex libro de Ritibus Ecclesiasticis, siue sacris cæremoniis Ecclesiæ Romanæ, Auctore Christophoro Marcello, Archiepiscopo Corcyrensi, (qui liber Anno M. D. XVI. vno anno ante Lutheranum Euangelium natum, Venetiis excusus est) nobis narrationem texit, quomodo Pontifex Romanus funeretur & sepeliatur; additis ridiculariis scholiis, histrione Pomeranico, non Euangelij præcone dignis; Quanquam iam longa consuetudine factum est, vt histrio seu Pantomimus, & Lutheranus *seminiuerbius*, pro synonymis reputentur.

Ne ingratus viderer, statuerā lucubratiunculæ huic attexere epistolam quandam de Funere Lutheri, quando cadauer eius Islebio Witebergam reductum est; quæ exstat ad calcem Operis Cochlæani de Actis Lutheri, lectu sanè perquam digna; cogitabā quoq; notationes adiicere. Sed mutaui propositum, tum ne propositæ breuitatis fines transilirem; tum quia de funebri hac processione copiosè scripsi lib. 1. de sacris Processionibus cap. 13. Quò Prædicantem ablego. Non sine voluptate leget, siue Latina, siue Germanica magis allubescant: nam & Germanicè iam libri de Processionibus exstant.

Mihi in tota illa epistola admodum placet, quod tàm sollicitè infaustam Lutheri animam iniectis *clysteribus*, & adhibitis calidorum

dorum linteorum, & medicatarum aquarum fomentis ac blandimentis in obesum & fœtidum corpus reuocare studuerũt: quamuis inani nisu; quia iam auolauerat, & in manus inexorabiliũ prædonum inciderat. Video etiam in ipso funeris progressu omnia Euangelicè prorsus acta. Quid enim *Euangelicoteron* & *Apostolicoteron*, quàm quod ciulans Borrha, seu verius *Porna*, cõmentitia Lutheri vxor, funus in essedo sessitans, sequitur, cum tribus spuriis? Certè tam Euangelicè & Apostolicè nullus Euangelista, aut Apostolus tumulo illatus est. Imò nec posteriorũ Præsulum quispiam: Non Augustinus, non Ambrosius, non Hieronymus, nõ Gregorius Magnus; non Basilius, non Nazianzenus, nõ Athanasius, non Chrysostomus, non alius quispiam ex horum cœtu & choro.

Cæterum valdè dubito, num *Cereuisiarij* illi custodes, & ad cadauer Lutheri excubitores, qui Lutheri manibus bono Zytho litarunt, obseruauerint Canonem illum Concilij Arelatensis, qui est apud Burchardum lib. 10. cap. 34. *Laici, qui excubias funeris obseruant, cum timore, & tremore, & reuerentia hoc faciant. Nullus ibi præsumat diabolica carmina cantare; non ioca & saltationes facere, quæ Pagani, Diabolo docente, inuenerunt. Quis enim nesciat Diabolicum esse, & non solùm à religione Christiana alienum, sed etiam humanæ naturæ esse contrarium, ibi lætari, cantare, inebriari, & cachinnis ora dissolui, &c. vbi luctus & planctus flebilibus vocibus debuerat resonare pro amissione chari fratris?* Difficile creditu est vigiles istos, quibus cerealia dona, & quidẽ tam solida, quàm liquida, abundè suppetebant, à cantu & choreis sese continuisse; neque enim solus Bacchus est lætitiæ dator & sator, sed & Ceres cum suo latice gaudium parit, & pedes ad saliendum exsuscitat, vt notum est. Nec sanè habebant boni illi ciues, Luthero custodes appositi, tristandi caussam. Aderat cereuisia sine modo & mensura: nec tanti æstimabant Lutherum, vt ob eius interitum sibi multum dolendum putarent; nec inuidebant ei cœlum, in quod eum Ionas, & cæteri Prædicantes translatum aiebant.

Si quis cantare desiderat, inquit Canon, *Kyrie eleeson cantet; sin aliter, omnino taceat*. At quem in finem isti *Kyrieleeson*

leeson decantassent? Num vt Deus animæ Lutheri misereretur? At hoc summum nefas fuisset, & doctrinæ Lutheri prorsus aduersum; quippe quæ preces pro defunctis cassas esse statuit. Itaque probabile est, loco huius sacræ cantionis, istos cecinisse aliquod tempori & symposio accommodatum odarium, vt fieri amat, inter pocula non tantum vinaria, sed & *Zythica:* nisi fortè, exhaustis cantharis, vociferati fuerint, *Kyriee leeson*, hacque sua comprecatione imbrem *cereuisiarium*, largiorem & diuturniorem impetrare studuerint. Nec erat, quod sibi ab hac clausula Canonis metuerent. *Si tacere non vult, in crastino à Presbytero taliter coërceatur, vt cæteri timeant.* Exploratum enim habebant, Ionam, Cœlium, eorumque symmystas, mali non ignaros, miseros miserari, eisque clementer ignoscere posse: nam & ipsos propter funus Lutheri ne vna quidem gutta minus vini aut zythi hausisse, piè creditur: imo verisimile est largius Lyæo operā dedisse, vt mœrori omnem ad pectora aditum intercluderent.

Nec noui, vtrum inter istos excubitores, fuerint quoque excubitrices. Id quidem vetatur Canone Concilij Meldensis apud Burckhardum lib. 10. cap. 35. *Placuit prohibere ne fœminæ in cæmeterio peruigilent, eò quod sæpe, sub obtentu orationis & religionis, latenter scelera committunt.* Sed cum Lutherus fuerit Dominus omnium Canonum, & sexui infirmiori quàm maximè obstrictus: credendum non est, fœminas, ab his vigiliis fuisse penitus exclusas; neque enim decebat, vt eius, quem nunquam amplius visuræ erant; conspectu, quamdiu licebat, non fruerentur. Qua de re nos instruere poterit Stetinensis Institor, tanquam vetus Saxoniæ indigena.

Anno Domini M. D. XXVI. in Concione *de diuite epulone & Lazaro mendico* Lutherus lepidissimam hanc pro defunctis orandi rationem præscripserat, *cum incertum sit, nobisq́; obscurum, an damnati sint Manes, vel secus, non committes peccatum, si pro eis Numen interpellaueris, hoc quidem modo, vt ambiguum hoc esse sinas, ac si dicas: Optime Maxime Deus, si ita animæ illius res habent, vt deprecationibus nostris leuari possit, etiam*

atq;

atque etiam oro, vti te propitium sentiat. Cùm ad eum modum semel atque iterum precibus institisti, quiesce postea, & eam Deo committe. Ille enim promisit, se nos exauditurum, si quid ab eo petamus. Quocirca cum semel aut tertiò id precatus es, crede te exauditum, nec ea identidem occinas, ne Deum videaris tentare, aut ei parum fidere.

Hæc Lutherus, Anno, vt dicebam, 1526. qui cum viginti pòst demum annis spiritum exhalarit, & intra viginti annos, more sibi consueto, sententiam vigesies mutare potuerit; imò, cum in eam sententiam ad extremum venerit, nullas simpliciter, atque adeo nec breues, nec longas preces; nec semel, nec sæpius pro defunctis fundendas esse; dubitare non licet, excubitores & custodes funeris, cum Lutheri doctrina diligenter sese conformasse, & ne exanimi vel vnico verbulo requiem precaretur, studiosè cauisse; neque formulam illam Anno 1526. præscriptam secutos esse; quæ profectò stultitiæ plenissima est: nam si semel atque iterum, & tertio quietem mortuo apprecari fas est, cur non quartò, cur non quintò, cur non sextò, cur non crebrius? Nam quis scripturæ locus nos docet Deum, statim te exaudire, si semel, aut iterum, aut tertiò oraueris? Ter rogauit Apostolus, vt Angelus Sathanæ à se depelleretur. Nec tamen exauditus est. Et sacræ literæ frequenter monent, vt *Orationi instemus*: Et vt *sine intermissione oremus*. Num orationi instabimus, & sine intermissione orabimus, si faciamus, quod Lutherus faciendum monuit? hoc est, si semel atque iterum precati, desinamus, remque Deo committamus? Nam si hoc faciendũ est, cum pro defunctis vota concipiuntur, cur id similiter facere non liceret, quando vel pro nobis, vel pro aliis adhuc superstitibus oramus? Certè Lutheri argumentum æquè de viuis, ac de mortuis concludit, si quid, præter insignitam stultitiam, concludit. Itaque si quis semel, bis, vel summùm ter, pro se vel proximis preces fudit; desistet; ne Deo inciuilius obstrepat, nimisq; oportune quietum interpellet. Verùm iam ad Lutheri funus regrediamur.

Miror Lutherum non cauisse, ne corpus suum inferretur in Templum Arcis, quod omnibus Sanctis à conditore suo dedicatum fuerat; cum, Lutherus in quadam ad Spalatinum epistola, Tom. 1. Lat. Epist. domum illam, non omnium San-

ctorum sed *omnium Diabolorum* Templum sacrilego & terq; quaterq; execrando ore appellauerit. Quis se in tali domo sepeliri velit aut sinat? Quis non vel exanimis, denuò animetur, & ex feretro exsiliat, vt hanc tantam indignitatem à suo corpore propulset? At fortè dicet Prædicans, Templum illud desiisse esse *omnium Diabolorum* Templum, quando *sancti* inde expulsi sunt; & introducta hæresis: quod perinde est, ac si diceret; desiisse esse Templum *omnium Diabolorum*, quando charissima omnium cacodæmonum filia, *hæresis*; & dilectissimus eorundem filius, *Lutheranismus*, Ecclesiæ illius possessionem acceperunt.

In Exordio Enthusiasmi & Corybantismi Quinteuangelici, vix erat, qui vel intra Templa vel cœmeteria vetera, vel intra vrbium & oppidorum mœnia sepeliri vellet. Noua Cœmeteria condebantur extra muros & consortium hominum, in agris & pratis; ne corpora tam sancta contaminarentur ex contactu templorum & cœmeteriorum, quæ olim Pontificio ritu consecrata fuerant: & in quibus tot *Papistæ*, communem Resurrectionem exspectantes, habitabant; inter quos cubare impium censebant; vt copiosius ostendi lib. 2. de Funere Christiano cap. 10. Ex Wicelio potissimum, huius rei minimè ignaro; qui eandem Luthericolarum amentiam alibi quoque redarguit, vt in sua *Postilla* explicans Euangelium de vnico filio Viduæ in Naim, & in Tractatu, cuius inscriptio: *Quid sacra scriptura de fidelibus defunctis, eorumque sepultura tradat & doceat*: Tom. 1. Operum Germanicorum. Cur Lutherus ante supremum diem non allaborauit, vt huic suæ & suorum consuetudini conuenienter humaretur? Cur Lutherani cum Primæuo Létherici Euangelij spiritu sese non conformarunt, Lutherumque in *Cœmeterium*, quod Witebergæ extra vrbis muros est, intulerunt; in illud, inquam, cœmeterium, cuius Epitaphia lib. 4. repræsentat nobis Mencius: Nam ibi cum filiabus suis Elisabetha & Magdalena, cumque aliis aliorum Prædicantium liberis suauiter dormiuisset. At hoc ipsum etiam cœmeterium Catholicis cæremoniis olim consecratum fuisse videtur, quippe Lutheranismo longè antiquius. Cur ergo in illo tot Prædicantes & *Prædicantissas*, totque Prædicantium liberos tumularunt, contra Quinti Euangelij Primitiuum genium? Ego quidem vehementer ambigo, num Mencius vel vnius Catholici Epitaphium ex illo cœmeterio referat; nam nulla fu-

la fuisse, quis credat? nisi fortè tempore belli Schmalcaldici cum suburbiis omnia destructa fuerint; quod sua in præfatione Mencius satis innuit: & nisi innueret, suam fidem in tractatione Epitaphiorum dubiam redderet.

Non diffitemur, viguisse olim varium morem sepulturæ; vt ostendimus lib. 2. de Funere cap. 8. Temporibus quoque sancti Chrysostomi nefas alicubi habebatur, sepulchra in ipsis vrbibus erigere; id dilucidè liquet ex Homilia 74. in Matthæum: vbi dicit: *Cogita, quia nullum in ciuitate sepulchrũ struitur; quare nec tu in supernam ciuitatem poteris introire: nam si in terrestri ciuitate hoc interdictũ est, multò magis in cælesti.* Obserua, quod idem sanctus Pater eodem loco scriptũ reliquit, quia memorabile est, & obseruatione dignũ. *Si quis mortuum in Regia*, hoc est in Palatio Imperatoris, *sepeliuerit, is vltima supplicia luet. Cogita tu, quàm acerba pœna vexaberis, qui atria hæc adire sancta, & obscæno fætore implere non erubescis.* Hæc S. Chrysostomus. Ad Lutherũ quod attinet, si Vertumnus iste eiusque versatiles sectatores sibi constare voluissent, extra Vrbis mœnia, & extra catholica templa & cœmeteria defodi, & in terram abdi debuerat. Verùm frustra constantiam à vertiginosis exspectes. Vt alia pleraque Lutheranæ sectę capita, quo posteriora erant, eò magis prioribus aduersabantur, ita & in hoc de sepulchris & ritu sepulturæ argumento euenit.

Vereor autem, ne si benignitate Stetinensis Agyrtæ diutius vti & frui velim, ea abuti videar. Sed quia vltrò, nec rogatus, nec iussus, nec vel tenui indicio monitus pro libris de Funere Christiano tam bella & pulchra *inserenda* mihi subministrauit, securè, nisi fallor, quæuis, etiam valde prolixa, officia, ab hoc tam dapsili circumforaneo nobis pollicebimur. Quoniam igitur conuenimus ambo, dic, ô Pastor Lutherane, num in Processione Funebri Progenitoris vestri Lutheri, atque adeo generatim in Funerationibus Lutheranorum, obseruatus sit, hodieque obseruetur Canon ille, qui in variis Collectionibus, & in Romano etiam Pœnitentiali tit. 7. cap. 25. reperitur, & est talis. *Fecisti, quod quidam facere solent, dum ad Ecclesiam vadunt: in ipsa via proferunt suas vanitates, & loquuntur otiosa, nec in eadem*

via cogitant aliquid, quod ad animæ vtilitatem pertineat; & cum venerint in atrium Ecclesiæ, vbi sepulta sunt corpora fidelium, & dum calcauerint sepulchra proximorum, non recordantur, quid eis futurum sit; nec vllam mentionem, nec vllas preces pro eis ad Dominum fundunt, quod facere debuerunt; Si neglexisti, decem dies in pane & aqua pæniteas, & vide vlterius ne tibi contingat; sed quandocunque in atrium Ecclesiæ intraueris, ora pro eis, & roga illas sanctas animas, quarum corpora ibi requiescunt, vt quantum possint, pro tuis peccatis ad Dominum intercedant. Proculdubio, qui funus Lutheri deducebant & comitabantur, in contemplatione nouissimorum profundissimè defixi erant, nec vel muttiebant inter se; nisi fortè excipiendos censeas Equites, qui Luthero non minus *cereuisiaria* iusta persoluisse videntur, ac excubitores illi Islebienses; & quamprimum Lutheri cadauer in Templum Arcis illatum, omnes; (ita piè nobis persuademus) corde & ore, iam antea ibi sepultis requiem æternam precari institerunt, præcipuè Petro Lupino, qui mustum Quinti Euangelij vix gustauerat; & ecce migrandum fuit; cui, si diuturnior vita obtigisset, Lutherus idem Minerual persoluisset, quod Carolstadio dependit: si vel in minima recula sinciput suum occipiti Lutheri opposuisset. Sunt & Luthericolæ eiusdem Canonis custodes rigidi, vt videre est, quoties Lutheranum funus ducitur, tantum est enim subsequentis turbæ silentium, vt omnia tecta à silentij illius strepitu resonent. Omnes Ageronæ & Harpocratis Mystas dixeris: cumque in Templum vel Cœmeterium cum funere ventum est, Bone Deus, quanta illic pietatis significatio; quanta Dei & sanctorum inuocatio, vt iis, quorum corpora ibi conduntur, propitij sint, clementesq; ac benigni patroni. Si quis hoc facere negligat, è vestigio decem dierum inedia mulctatur, prout in Canone præscribitur.

Examussim quoque in itu ad locum sepulturæ obseruant legem illam lib. 6. Capitularium Francicorum cap. 194. *Admoneantur fideles, vt ad suos mortuos non agant ea, quæ de Paganorum ritu remanserunt: sed vnusquisque deuota mente,*

&

& cum compunctione cordis, pro eius anima Dei misericordiam imploret: Et quando eos ad sepulturam portauerint, illum vlulatum excelsum non faciant, sed, sicut superius diximus, deuota mente, & cum compunctione cordis, in quantum sensum habuerint, pro eius anima implorare diuinam misericordiam faciant. Et illi, qui psalmos non tenent, excelsa voce Kyrieleison, Christeeleison, *viris inchoantibus, mulieribusque respondentibus, alta voce canere studeant, pro eius anima.* Horum omnium studiosi scilicet obseruatores sunt Lutherani & Caluiniani in suorum funerationibus: vt quondie suis oculis vident, qui inter Hæreticos degunt. Nulla Præfica tanto pietatis sensu funus comitatur, quanto cum Prædicantibus turba *Quinteuangelica.*

In Concilio Valentino cap. 4. decretum est; *vt quia sæpe sanctorum Antistitum, per absentiam Commendatoris Episcopi, exequiæ differuntur; ita vt veneräda Pontificis membra, dum tardius funerantur, iniuriæ omnino subiaceant; Episcopus, qui post mortem fratris, ad sepeliendum eum, solet inuitatus occurrere, infirmum magis & adhuc in corpore positum, admonitus visitare non differat;* (id factum à Iona, Cælio & aliis, quamuis prius fermè viderunt Lutherũ mortuum, quàm ad mortem infirmum; adeo celeriter anima Lutheri obeso suo habitaculo valedixit, & indignata sub vmbras auolauit) *vt aut de releuatione consacerdotis magis gaudeat, aut certe de ordinatione domus suæ fratrem admoneat, eiusque probabilem voluntatem in effectum transmittat.* (Sed iam Lutherus Anno Redemptoris 1527. cum nescio qua vel corporis vel animi, vel vtriusque ægritudine mirabiliter conflictatus esset; Testamentum fecerat, vt Pomeranus narrat in epistola de hac ipsa Lutheri lucta. Testamentum autem huiusmodi erat. *Domine Deus, gratias ago tibi, quod volueris me esse pauperem super terram, & mendicum: non habeo domum, agrum, possessiones, pecuniam, quæ relinquam. Tu dedisti mihi vxo-*

rem, & filios. Tibi reddo, nutri, doce, serua, vt hactenus me. Et tamen mendicus iste ea ipsa in colluctatione, non est oblitus argenteorum Scyphorum; nam vt Iustus Ionas in alia relatione memorat; *aliquid* insusurrauit vxori de argẽteis Scyphis; addẽs, *praeterea nosti nos nihil habere, &c.*) *Ac recedentem à saeculo post oblatum in eius commendatione sacrificium Deo,* (quod factum à Iona & Caelio, non in Altari, sed in mensa Comitum Mansfeldensium; vt impleretur illud Poëtae: *Postquam exempta fames epulis, mensaque remotae, Crateras magnos statuunt, & vina coronant:* vt si forsan Lutherus minus largiter bibendo peccasset; ipsi defectum hunc, quantum pote, sarcirent; & pro eo abundè satisfacerent; nam hoc satisfactionis genus Praedicantes non modò agnoscũt, sed & libenter in gratiam tam viuorum, quàm mortuorum sodalium suscipiunt) *mox sepulturae tradat diligentissimè.* (Quod hic tam citò fieri nequiit, quandoquidem Smyrna, Rhodus, Colophon de hoc tam pretioso deposito contendebant.)

Si autem, vt fieri solet, Antistes obitu repentino discesserit, (vt factum Luthero) *& Conlimitanei sacerdotes de longinquo minimè adesse potuerint, vno die tantum cum nocte, exanimatum corpusculum sacerdotis maneat: non sine fratrum ac Religiosorum frequentia; vel psallentium excubatione seruatum, à Presbyteris cum omni diligentia, in loculo conditum seorsum, non statim humetur, sed honorificè commendetur, donec, sine mora, inuitato vndecunque Pontifice, ab ipso, vt condecet, solenniter tumuletur, vt & iniuriae tollatur occasio, & mos antiquus in sepeliendis sacerdotibus obseruetur.* Nouimus quidem Luthero appositos Excubitores, sed *cereuisiam* potantes, non Psalmos Dauidicos psallentes; aut si & hos, non aliter psallentes, ac illi psallunt, quorum ora Bacchus & Ceres in cantum resoluunt. Nec quidquam apparet in hoc Concilij Valentini decreto de vxore, quae funus mariti Antistitis, curru vecta, vnà cum pusionibus subsequi debeat; vt factum in Funere Lutheri.

In ca-

In eadem Valentina synodo decernitur, vt defuncto Episcopo, *clerici ab omni omnino supellectili, vel quæcunque sunt in domo Ecclesiæ vel Episcopi, in libris, in speciebus, vtensilibus, vasculis, frugibus, gregibus, animalibus, vel omni omnino re, rapaces manus abstineant, & nihil latronum more diripiant.* Idem cap. seq. præcipitur *parentibus & propinquis decedentis Episcopi.* Num hoc seruatum defuncto hoc Islebico Episcopo? Num Ionas tam continentes habebat manus, vt nihil penitus de rebus Lutheri, vel benedictionis loco, cleperet? De eo certus mihi videor, nec Ionam, nec Cælium, neque alium Prædicātem Luthero *Breuiarium*, aut *Rosarium*, aut *imaginem Agni cælestis*, aut *Thecam Reliquiarum* abstulisse, quia horum omnium nouus iste Martinus egenus erat; qui

Pestis erat viuus, pestis quoque mortuus exstat;
Pestis terrigenum Cæligenûmque simul.
Pestis, qua gelidum Boreæ violentius axem
Nulla vel infecit, nulla vel inficiet;
Pestis, quā stygiis non venit sæuior oris.
Ipsi Tartareæ vix toleranda plagæ.
Ni tot adaugeret tenebrosum ciuibus Orcum,
Et tot opima polo subtraheret spolia.

CAPVT DECIMVM.

Moribundi & mortui veste religiosa induti, & in ea sepulti.

NEc olim defuerunt, neque hodie desunt, qui pietate ducti, sub extremam vitæ horam habitum Monasticum induerint, & etiamnum induant; vt se iam vita cassos eo indui, & in eo terræ mandari velint. Ex quorum numero vnus. Andronicus Iunior, Imp. Constantinopolitanus, qui cum ex grauissimo morbo, in quem inciderat, supremum sibi diem instare crederet,

aduo-

aduocatis Medicis, per Deum, viuorum ac mortuorum iudicem eos adiurauit; ne ipsum vetarent sancto Monachorum habitu indui, vt lib. 2. cap. 14. scribit Cantacuzenus. Et cap. 16. *cum Imperator ob morbi magnitudinem spiritum vltimu iam iam se ducturum crederet; coactis medicis, probè recordamini, inquit, quæ vobis ad Monasticam vestem obtinendam dixerim, non quia de vita prorsus desperassem, sed quia arbitrarer, etiamsi firmam spem sospitatis haberem, in vtrãque partem id mihi bono fore. Siue enim viuorum numero exemptus fuero, proderit mihi coram incorrupto iudice, in terribili illo iudicio, cum pœnitentium habitu apparere: siue conualuero, multò melius erit, concessum viuendi spatium in peccatis meis expiandis consumere. Cæterum vos, qui iurati promisistis, non me tali bono priuaturos, nunc omnino pugnantia facitis, vt video: nam cum ego paulùm distem à mortuis, vos alia potius omnia, quàm quæ mihi vtilia & iucunda sunt, cogitatis. Quamobrem oro, ne diutius negligentes, me non mediocri, sed summo detrimento mul tetis: & quod hactenus omissum est, nunc resarcire studeatis.* Plura ibid. idem Cantacuzenus de ardenti desiderio Andronici, vitam finiendi in habitu Monastico.

Quem ante Andronicum poposcit quoque & induit ad limina mortis deductus Manuel Comnenus, vt scribit Nicetas lib. 7. de rebus gestis Manuelis circa finem: quæ vestis breuior, quàm vt ad talos Imperatoris pertingere posset; ita circumstantes permouit, vt nemo, qui spectaculo huic aderat, *à lacrymis sibi temperaret, ex consideratione imbecillitatis humanæ, & vilitatis corporis in morte*, vt ait Nicetas. Vbi Hæreticus scholiastes, qui Nicetam partim ineptis, partim impiis annotamentis conspurcauit: *Quis sibi temperet à lacrymis, tantum Imperatorem in ridiculum histrionem trãsformatũ conspiciens?* Cæterum nemo hoc affirmauerit, nisi Caluinianus aut Lutheranus histrio. Secus sentit tota orthodoxa Græcia, secus ipse Manuel sibi persuadebat, qui vtique non histrionem; sed personam

verè

verè pœnitentis in illa mortifera, vt ſic loquar, Orcheſtra, agere cōſtituebat. Nec τὸ τραχὺ τῆς κατὰ τὸν θεὸν πολιτείας ἔνδυμα, vt à Niceta appellatur, hiſtrionicum ſchema eſt; niſi ipſos etiam τοὺς κατὰ τὸν θεὸν πολίτας, *hiſtriones* eſſe blaſphemes. An placuiſſet Caluinicolæ huic, ſi Manuel Lutherani aut Caluiniani Prædicantis toga ſeſe amiciendum curaſſet?

Eandem veſtem vocat Nicetas πνευματικωτέραν ἀμφίασιν, *ſpirituale indumentum*. Caluinianus Annotator. *Spiritualis veſtis ea non eſt, quæ corruptioni obnoxia, & vanæ fiduciæ Magiſtra dici debet.* Si corruptio obſtat, quo minus quid nomen *ſpiritualis* ſortiatur; neceſſario conſit, nullum hominem in hac vita degentem, aut eſſe aut vocari poſſe *ſpiritualem:* quia omnis homo, incola huius mundi, obnoxius eſt corruptioni: & tamen hoc non obſtante, ita ſcribit Apoſtolus ad Galat. cap. 6. *Vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Et 1. Corinth. 2. *Spiritualis autem omnia iudicat, &c.* Poteſt ergo veſtis etiam Monaſtica ſpiritualis nominari, licet tandem in cineres abeat, quia eſt vitæ ſpiritualis argumentum & externum ſymbolum; nec vanæ ſpei Magiſtra eſt, niſi eorum iudicio, qui cum Æſopico cane, relicta re, vmbris auido ore inhiant.

Theodorus Laſcaris Iunior, Græcorum Imperator *paulò ante obitum alacriter Monaſticum habitum induit, & multos pecuniarum aceruos ſuis manibus diſtribuit, feruentique corde vim lacrymarum profudit, quibus animi vulnera, in tanta neceſſitatis articulo, eluebat & curabat,* teſte Nicephoro Gregora lib. 3.

Theodorus Metochita, magnus Logotheta *Monaſtico habitu indutus deceſſit;* vt ſcribit idem Gregoras lib. 10.

Fridericus II. Imperator potentiſſimus obiit, *aſſumpto, vt dicitur, habitu Ciſtercienſium, mirificè compunctus & humiliatus,* vt teſtatur Matthæus Paris in ſua Hiſtoria.

Hoſpinianus Caluiniſta in Centone ſuo *de origine Monachatus* nonnulla exempla eorum, qui in habitu religioſo mo-

ri & ſepeliri voluerunt adducit. *Sic enim legimus*, inquit, *de Mantuæ Marchione Franciſco II. quod teſtamento cauerit, vt in Seraphici Ordinis veſte ſepeliretur. Fecit idem Albertus Pius Carporum Princeps Lutetiæ. Chriſtophorus item Longolius Belga, Patauij ſepultus, & Robertus Rex Siciliæ.* De Ioanne Pico Mirandulano idem proditum eſt.

Meminit etiam Lutherus huius moris, nominatim lib. de *Miſſa priuata* Tom. 7. Lat. Witeberg. vbi huiuſmodi cadauera & funera excucullatus transfuga vocat *cucullata*. Et in Pſalmũ ſecundum Tom. 4. Lat. Ienenſi: *Memini Erphordiæ eſſe duos præſtantes Iureconſultos, hi cum iam moriendum eis eſſet, altùm ingemiſcentes, dixerunt; ô ſi non Doctores Iuris, ſed Monachi fuiſſemus, quanto nunc moreremur beatius?* Igitur quod vnum *videbatur remedij reſtare, mandabant, vt præter ſacra, etiam cucullis inuoluerentur cadauera, & ſic monaſtico habitu ſepelirentur.* Hæc quomodo Luthero arriſiſſent, qui cucullum ne viuus quidem amplius tolerare volebat, tantum abeſt, vt eo mortuus indui optarit? Et quamuis Lutherus potius elegerit mori vt Prædicans, imò vt Hæreſiarcha, nullus tamen ex rectè ſentientium & ſanè ſapientium numero reperitur, qui cum ſupremus dies illuxit, non mallet ſeueriſſimam quàm laxiſſimam vitam duxiſſe; certus ſe per illam longè certius diuinam miſericordiam conſecuturum, quàm per iſtam.

In Colloquiis Sympoſiacis, eo titulo, in quem Collector Miſcellanea congeſſit, fatuatur vel potius ſcurratur Lutherus de quodam Landgrauio Thuringiæ, qui & ipſe Monaſtico habitu veſtitus tumulari voluit. Adiungit quoque magnæ familiæ & ſtirpis fœminam, Monialium amictu ſepultam. At Lutherus, ſcurrarum in morem, omnia iocis & ſannis inuoluit; nec aliter facere potuit; quia ſi hunc morem in agentibus animam commendaſſet, ſua & ſuæ Borrhæ vineta non tam cecidiſſet, quàm ſuccidiſſet. Nec verum eſt, quod Lutherus non ſemel pro vero affirmat; eam fuiſſe hominum perſuaſionem, vt crederent, omnia ſalua fore, eo ipſo præcisè, quòd veſtem Monaſticam induiſſent, quaſi nulla re alia ad ſalutem obtinendã amplius opus foret.

Quæ nullius Catholici mens est, neque enim ignorant, parum momenti in externo hoc schemate positum esse, nisi internus de malè commissis dolor, & salutaris scelerum detestatio accedat.

CAPVT XI.

Horribile Melanchthonis mendacium, de S. Othone, Episcopo Bambergensi, & Pomeranorum Apostolo.

EXtremum hunc ô præco, mihi concede laborem: Te iudicem fero, te iudicem appello, an non terrificè Melanchthon mentitus fuerit, quando Tomo tertio *selectarum Declamationum* in Oratione de vita Ioannis Bugenhagij Pomerani hæc effutiuit. *Legimus ab Othone Bambergensi initiò constitutas esse Ecclesias Pomeranicas, quem constat fuisse virum nobilem, &c. Non constat quid docuerit, quod quidem maximè scire oportebat.* Siccine non scitur, quid S. Otho in Pomerania docuerit? Quam doctrinam Pomeranis tradiderit ac instillauerit? An non hoc Philippicum mendacium refutatur à tuis Chronicis lib. 1. cap. 34. vbi explicas, tametsi Prædicantica fide, quodnam genus doctrinæ S. Otho in Pomeraniam attulerit? An non idem commentum apertissimè refellit liber primus & secundus ex quatuor illis, quos nuper cum S. Henrico Imp. & S. Kunegunde Imperatrice diuis Bambergensibus, euulgauimus? Lector tantummodo cap. 16. & 17. libri secundi inspiciat, vbi Orthodoxam doctrinam de septem Sacramentis, de ieiuniis, de festis, de cultu Sanctorum, de sacrificio Missæ, & id genus aliis Pomeranis traditam inueniet.

At fortè vitæ huius exemplaria non viderat Melanchthon. Nam quod tua mendaciloqua Chronica non legerit, exploratum habeo; quia superstite Philippo, forsan ne tu quidem natus fueras, nedum Chronica tua. An ideo ex aliarum Historiarum monumentis Melanchthon discere non poterat, quam doctri-

nam Pomeranis S.Otho tradidisset? An non ipsa Pomerania vsque ad Lutheri tempora, consono ore & quasi clamore testabatur, quodnam doctrinæ genus à S.Othone accepisset? An non illam doctrinam colebat & profitebatur, quæ septem sacramenta statuit; quæ sanctos veneratur & inuocat; quæ Missas celebrat; quæ pro defunctis vota & preces fundit: Quæ imagines reueretur: Quæ Cælitum Reliquiis honorem debitum defert: Quæ Templa Diuis erigit: Quæ Monasteria condit, fundat, dotat: Quæ centena alia huius generis & moris agit, Lutheranæ factioni prorsus contraria. An hæc & similia soli Melanchthoni ignota erant? An ideo nosse nolebat, vt S.Othonis deprimendi, & sui Bugenhagij extollendi occasionem haberet?

Vide enim quid declamator ille subiiciat. *Quod sit doctrinæ genus, quod vnum & incorruptum in omnibus locis tradidit Ioannes Bugenhagius, notum est, & ex illius scriptis, & ex monumentis illarum Ecclesiarum, quarum fuit conditor, in quibus omnibus expresse hoc affirmat, se amplecti Confessionem Carolo Imp. Anno 1530. exhibitam.* Illam nimirum doctrinam Pomeranis tradidit, cuius similem Pomerania ante Lutherum non audierat: & quæ institutioni Othonianæ aduersa fronte aduersatur: illam, inquam, quæ, more Turcico, Templa, Monasteria, altaria, Diuorum imagines euertit ac subruit: Quæ omnia vasa aurea & argentea, & quidquid alicuius pretij in Thesauris Ecclesiasticis asseruabatur, quàm diligentissimè conuasat, diripit, & in suos loculos conuehit ac conuertit. Quæ sacramenta mutilat; Quæ Cælitibus honorem, ipsique Deo debitum honorem detrahit: Quæ carni fibulam laxat: Vno verbo, quæ omnia nouat, non ad disciplinam, sed ad licentiam. Hoc Catechismo Bugenhagium fœdifragum Apostatam Pomeranos imbuisse; tam non nescimus, quàm scimus S.Othonem contrariâ viâ incessisse: nec Wittebergensem, sed Catholicum Catechismum Neophytis Pomeranis explanasse.

Cum autem Philippus dicat, *Bugenhagium Pomeranis tradidisse Confessionem Augustanam*; non iniuria quæras, quam illis tradiderit, num primam illam; an aliquam ex illis, quas postea Philippus coxit & recoxit, & in clibanum recoquendas misit,

misit, quandiu vixit? Illud etiam mihi expedi, ô Institor, quomodo arrideat tibi iste versus ex Elegia Cracouij, (qui fuit Gener Bugenhagij) quam in obitum sui soceri, auersis Musis, demodulatus est; tenui prorsus auena.

Pectore in ipsius non mica fraudis erat.

Breues, vt video, amabat iste *micas*. Catullus & alij longas volunt. Sed de Cracouio, & huius census, aliis poëtastris, meritò dicas.

Nulla in tam magno est corpore mica salis.

CAPVT XII.

Mendacia Crameriana, in Chronicis Pomeranicis.

VT Cramerus Chronica sua Pomeranica iis, quibus mentiri vel mendacia audire, est viuere; magis commendet, genio suo nimis quàm liberaliter indulget, & Pseudologiæ officinam ingressus, artem, quam solam didicit, & accuratè callet; egregiè factitat, præsertim sub finem libri. Et quia compertum habet, suæ sectæ consortibus nulla esse gratiora mendacia, quàm ea, quibus Iesuitæ impetuntur; ideo Iesuitas in theatrum inducit, & in eos, tanquam in scopum quendam, vanitatem linguæ suæ dirigit. Igitur libro tertio, capite 50. mentitur I. Ioannem Castellum, *qui Henricum IV. Galliæ & Nauarræ Regem interficere tentarat, fuisse Iesuitam.* Tota Lutetia, imò tota Gallia rem secus se habere nouit.

II. Mendac. *Parisiense Collegium Iesuitarum fuisse ob hoc facinus ex fundamentis euersum, funditusque dirutum.* Quod tam verum est, quàm domum Crameri, in qua Stetini habitat, ob necem Regi intentatam, dirutam esse; nam Collegium Parisiense adhuc stat, semperque stetit; & à nostris denuo incolitur.

III. Mendac. *In loco scholarum erectam esse Pyramidem in seruati Regis perpetuam memoriam, tantique facinoris sempiternam detestationem.* Non in loco scholarum, sed in loco, vbi paterna domus Castelli steterat, Pyramis erecta est: quod iste ex versibus adiunctis, quos recitat, discere poterat, si amentia id permisisset. An non exscripsisti hos versiculos?

Hic alta, quæ sto Pyramis, domus fui
Castella, sed quam diruendam funditus,
Frequens Senatus crimen vltus censuit.

At cedo, num oblitus es hanc Pyramidem, iussu Magni Regis, sublatam esse?

IV. Mendac. cap. 51. *Ex Galliis circiter decem millia Iesuitarum expulsa esse.* Ohe Mercator. Caue, ne quid nimis: nam eo tempore vix in toto mundo decem millia Iesuitarum erant, nedum in Gallia, vt constat ex Catalogo Prouinciarum & Collegiorum, quibus semper numerus personarum adscribi solet; neque nostri ex tota Gallia tunc cessêre; vt notum omnibus.

V. Mendac. *Ista decem millia Iesuitarum in Poloniam properasse.* Quos Cramerus altum sternens non modò vidit, sed & sigillatim dinumerauit.

VI. Mendac. *Et in finibus Pomeraniæ magnam persecutionem excitasse.* Non minorem scilicet, quam fuerit olim Neroniana aut Deciana. Testes tot Prædicantes, in hac persecutione Martyres Lutherani facti.

Caput LIII. consumit Mercator in describenda & recensenda Apostasia cuiusdam sacerdotis ex societate nostra: vbi mendaciorum numerus cum numero verborum propè contendit.

VII. Mendac. Leonardum Fuchsium (hoc enim ille nomen habebat) *aufugisse à Iesuitis Anno 1600.* Mendax Prochronismus minimum quatuor vel quinque annorum. Nam Anno 1604. vel certè 1605. defectio hæc accidit.

VIII. *Decem pòst hebdomadibus venisse ad fines Pomeraniæ & Nouæ Marchiæ.* Si anno 1600. non descinerat; vt sanè

ſenè non deſciuerat; vtique neque poſt decem ſeptimanas ad prædictos fines deferri poterat.

IX. Mendac. Anno 1586. *Cum Poſſeuino in Sueciam abiiſſe.* Hoc anno Fuchſius necdum in Societate erat.

X. Mendac. *Cũ Poſſeuino in Pruſsiam rediiſſe.* Quod tam verum eſt, quàm proximè præcedens plaſma.

XI. Mendac. *Braunſperga Gracium in Stiriam miſſum eſſe.* Ex Pruſſia ductus eſt à Poſſeuino circa annum 1587. Olomucium, nec dum in Societatem cooptatus, vt illic Rhetoricæ operam daret. Poſtea Brunam ad Domum probationis venit: Tandem Græcium.

XII. Mendac. Fuchſium *Gracij defeciſſe.* Non Græcij, ſed in Tranſyluania; nam Græcio Claudiopolim miſſus fuerat.

XIII. *Gracij cum honeſti viri vxore conſuetudinem habuiſſe.*

XIV. *Eamque inde ſecum abduxiſſe.*

XV. *Viuente adhuc marito.*

XVI. *Et hoc ideo, quòd ea arbitratu ſuo Gracij potiri nequiret.*

Nil niſi Crameriana, ſeu *Mercatoria* mendacia audis. Nihil horum vero conſonat. In Tranſyluania & Hungaria muliercula cuidam adhæſit; (nam ſi vinum & mulieres apoſtatare faciunt etiam ſapientes, quanto magis illos, quibus nec diuinæ nec humanæ ſapientiæ multum ſuppetit?) quam quoque ab Hæreticis Barthenſibus in Hungaria in vxorem, ſi ſuperis placet, ducere compulſus eſt; vt ferunt; nullum enim ſeriò à religioſa vita deſciuiſſe credunt, niſi è veſtigio faciat id, quod fecit Lutherus, iunctaque ſibi aliqua *Porna*, defectionem ſuam hoc quaſi nuptiali ſigillo obſignet.

XVII. Mendac. *Fuchſium Gracio aufugiſſe cum curru.*

XVIII. *Tribus equis.*

XIX. *Duobus famulis.*

XX. *Ob fuga celeritatem duos equos interiiſſe.* Curru diſceſſit Claudiopoli miſſus ad P. Prouincialem Auſtriæ. In itinere

nere aliò deflexit, eò nimirum, quò caro & sanguis rapiebant.

XXI. Mendac. *Anno 1601. ad Pomerania fines venisse.* Vanitas huius dicti liquet ex supradictis.

XXII. Mendac. Der Fuchß sey der beste Haan im Korb gewesen. Hoc est, *primas inter Iesuitas tenuisse.* Imò, vt quidam ex Patribus Græcensibus, qui Fuchsium probè nouit, testatur; semper *pro homine simplici, & infra mediocritatem docto habitus est.*

XXIII. Mendac. *Fuisse Concionatorem serenißimorum Archiducũ, Ferdinandi, Maximiliani, Leopoldi, Caroli, etc.* Nunquam horum concionator fuit; licet fieri potuerit, vt interdum casu interessent, ipso verba faciente in Xenodochiis, & Catechismum in Templo Græcensi pueris & puellis explicante.

XXIV. Mendac. *Fuisse Doctorem.* Nec Doctor, nec Magister fuit: vt testantur, qui hominem nouerunt.

XXV. Mendac. *Et multorum annorum professorem.* Cuius facultatis? Nam Claudiopoli exiguo tempore Controuersias professus est.

XXVI. Mendac. *Legatione functum ad tumultuantes Rusticos.*

XXVII. Mendac. *Et quidem in Austria.* Ad agricolas superioris Stiriæ iam pacatos & quietos missu superiorum, abiit, non vt Legatus, sed vt Catechista, rudibus prima fidei elementa explicaturus.

XXVIII. Mendac. *Fugam fuisse celerrimam:* Et tamen Græcio vsque ad fines Pomeraniæ decem hebdomadas insumptas scribit Prædicans. Quæ hæc celeritas, tanto temporis spatio, in itinere non vsque adeo longo? Quanquam non Græcio, sed ex Transyluania in Pomeraniam venit.

XXIX. Mendac. *Iesuitas orasse & obsecrasse, etiam cum lacrymis, additis quoque minis, ne ordinem desereret.* Scilicet, quando Claudiopoli abiit, collegis, se in Pomeraniam ad Cramerum profecturum, indicauit. Scilicet tales sua consilia in ore

in ore habent; non in pectore occultant, donec ea securè perficere queant.

XXX. Mend. *Fuchsium à Gracensibus exploratoribus fuisse Tuizij captum.*

XXXI. *Compedibus vinctum.* XXXII. *Et Posnaniam ductum.* XXXIII. *Vnà cum muliere.* XXXIV. *Hanc tamen ei gratiam factam, vt scriptis se defendat.* Quæ omnia nihil aliud sunt, quàm *Prædicantica*, hoc est, vanissima figmenta. Ex quibus intelligit veritatis amans lector, quid de Pomeranicis Chronicis mendaciloqui huius Rabulæ statuere debeat. Si enim duobus vel tribus capitulis tot & tantas pseudologias effutiuit, quot & quantas in Opere contineri credendum est?

Porro quæ de Fuchsio contra Cramerianam vanitatem attuli, ea habeo ex literis eorum, qui hominem illum familiariter nouerunt, quorum *P. Martinus Kaldi*, Rector Collegij Zagrabiensis in Croatia, olim Fuchsij condiscipulus in Rhetorica & Theologia: & eo ipso tempore, quo Fuchsius Claudiopoli discessit; Concionator ibidem Hungaricus: *Et P. Dauid Langius*, Collegij Græcensis Procurator. *Et P. Marcellus Pollart.* Quorum hac de re testimonia misit ad me Græcio Ingolstadium, Cramero *ex Historia Iesuitica* non incognitus *P. Iacobus Crusius.*

Porro, si quæras caussam cur Cramerus postremam Chronici sui partem tot & tam enormibus Pseudologiis ornare voluerit, triplicem ego inuenio. Prima est; ne hoīs mendacissimi Chronici discrepet à principio & medio. Secunda: vt suam erga Iesuitas beneuolentiam testetur, iam antea pluribus chartis non vno, sed multiplici rogo vstulandis satis superque ab isto ipso clamatore testatam. Tertia, quia Fuchsius ad Catholicam fidem rediit, & mortua, à qua seductus fuerat, pellice, vitam ad honestatis leges denuò composuit, & complures ab hæresi ad auitam religionem reduxit. Hoc nimirum Stetinensem nundinatorem vrit. Hoc animum & calamum in hominem

illum exacuit: quo nemo melior, nemo doctior foret, si in Pomerania Crameri, vel Rungij, vel Stymmelij, vel alicuius alterius Lutherani præconis filiam sibi copulasset, factus & ipse Quinti Euangelij Logodulus. Iam abiungo, & te Circumforanee, ad tuas merces abire sino.

F I N I S.

Errata.

Pag. 8. Vers. 20. habitum, lege, habitam. 9. 22. Prædicantibus, lege, Prædicanticiis. Ibid 25. lege, adimplebitur. 27. 25. illo, lege, ille. 29. Vlt. reliquorum, lege, reliquarum. 17. 2. innumerabilia. ibid. 25. ad summam.